

472
Q.K.
367,
37.

X 1860 179

II c
658

CASPARIS SAGITTARII
SS. Theol. D. & Hist. P.P.
HISTORIA VITAE AC MORTIS
TVLLIAE

M. TVLLII CICERONIS
FILIAE.

ACCEDUNT ANNOTATIONES IN SERVII SVLPICII EPISTO-
LAM CONSOLATORIAM INTER CICERONIANAS FAM. IV. V.
AD VIROS

EXCELLENTISSIMUM ET CLARISSIMOS
DN. GEORGIVM WOLFGANGVM
W E D E L I V M

D. ET PROF. MED. ARCHIATR. SAXONICVM
OPT. CONJVGIS ET

DN. JOACHIMVM JOHANNEM
M A D E R V M
PHILOLOGVM ET HISTORICVM
FILII PRIMOGENITI

PRAEMATVRVM OBITVM GRAVITER LVGENTES.



JENÆ. LITERIS JOHANNIS WERTHERI. ANNO M.DC.LXXIX.



V I R I

Nobilissimi, Excellentissime, Clarissimi,

Collega & Amici singulariter honorandi.

Gravissimus vester facit luctus, quod hanc qualemcunque Commentatiunculam Vobis decreverim inscribere. Enimvero *χαριστά* VVEDELI, quia ante hoc quatrimum conjunctissimam uxorem CHRISTINAM SABINAM AVEMANNIAM, rarum sexus sui decus & exemplar; tu vero amicissime MADERE, filium ex duobus primogenitum FRIDERICVM VVILHELMVM, doctrina & moribus egregiis, sanctique muneris Candidatum amisistis, Ciceronis instar mihi sum videre visus Tulliolarum suarum obitum gravissime lugentis. Nemo de dolore vestro sinisterius habet judicare, modo non Stoam nescio an semper sibi constantem velit sapere, aut plane sit ignarus, quanta vis amoris conjugali & paterno sit. At enim qui nimio Vos mœrore consumatis, eidemque succumbatis, nunquam permittet animi vestri magnitudo, aliis etiam calamitatibus exercita. Post divinæ voluntatis considerationem quidnam precipui Vobis proponerem solatii, quam generosum, quo DEUS vos beavit pectus, & quod opto ac spero, huic quoque par ferendo oneri? Quamobrem non idcirco has Vobis offero pagellas, ut vel Tulliana vel Sulpiciana vobis commendem solaminum genera: quæ & ipsa tamen lectu non indigna judicabitis: sed ut publicum aliquod testimonium extet, quantum vestrum me afficiat vulnus, quamque Vos pro summa doctrina, virtute & candore vestro æstimem. His igitur nominibus exile hoc munusculum Vobis spero non ingratum: insimul orans, qui, quo hætenus in me fuistis animo, eum semper mihi servetis atque conservetis. Equidem autem Deum precari non desinam, qui Vos in hoc acerbissimo casu per S. Spiritus gratiam magis magisque confirmet. Scribebam in Academia Salana VII. Martii A. A. Dion. c. l. l. LXXIX.



Ad Lectorem.

Non hæc recens est, quam, Lector benivole, vides scriptiuncula: sed jam ante hoc decennium in ludo Salfeldensi nata, sive potius, perinde ac foetus immaturus, ante tempus exclusa, ac ob id per tantum intervallum deserta. Nam quod ad Tulliaë historiolum attinet, pars illa fuit Commentationis de vita M. Tullii, quam ex antiquis junioribusque contractam Salfeldi item concinnavi, ac procurantibus Patronis meis Altenburgi excusa est. Cur autem hanc particulam opusculo exemerim, causa, fateor, erat præcipua, quod cum viderem, haberi in ea nonnullas raptim licet confarcinatas observationes ab aliis nondum (quod scirem) proditas, si subinde auferentur, singulari corpusculo suffectura crederem. At vero cum in hanc delatus Academiam, studiorum genus paululum mutaretur, & pro Romanorum gestis historia imprimis Germanica, pro Tullio sancta me haberet Sophia, de ornanda Tullia parum habui cogitare: nisi forte quando vel in hoc illustri Athenæo, vel alibi nonnemo Patronorum amicorumve propter suorum abitum in luctu essent & squalore. Sic enim aliquoties Tullia ex scriniis repetita, non tam relecta, quam visa, dum vel typographus necit moram, vel ipse novis ab edenda curis revocor, seposita, & in suum quasi reclusa fuit conditorium. Quod tamen non ita pridem Opt. Clarissimusque Vir JOACHIMVS JOH. MADERVS, quo cum a pluribus retro annis magna mihi intercessit familiaritas, filium amitteret majorem natu, serio decrevi, tandem aliquando Tulliam per tot annos suppressam in vitam lucemque revocare. Et sane quando Vir laudatus, ex quo e B. Patris mei tum Luneburgensis Scholæ Rectoris disciplina in florentissimam Helmstadiensem Academiam se contulit, cum postea majori doctrina & virtute excultus, ac ob id a Magnatibus, & hos inter a sapientissimo Principum Germaniæ AVGVSTO, Brunsvicensi ac Luneburgensi Duce adamatus, in vicina Julia Scheninga sedem Musarum fixisset, me autem Helmstadii

AD LECTOREM.

per annos aliquot degentem variis ornaret beneficiis, sapius postea de iis referendis cogitavi. Et commodum accidit, ut cum ipse Salfeldensem scholam, & oppido graves curas cum Academicis commutarem studiis, non multo post huc mitteret Maderus majorem filium meæ fidei summopere commendatum. Feci tum quod potuit homo conditionis meæ, & non in diatribas modo privatas, sed in interiorem amicitiam admissum modis omnibus juvare studui. Merebatur juvenis honesto & claro satus sanguine, forma liberali, moribus compositis, pietate probitateque singulari, nec vulgari doctrina, non a me modo, sed a bonis omnibus amari & diligi. Mea autem voluntas utrumque Parentem adeo affecit, ut variis id testarentur literis, ac Pater multis me augeter donis literariis a se editis. Nemo autem inter eruditos est, qui nesciat, Maderum propter multatum Marte proprio confecta, tum a se reperta optimi commatis scripta, tantam nominis indeptum gloriam, quantam multi non repererint splendidioribus licet maecti titulis. Ex magni cujusdam ac Madero benevolentis ore quondam accepi: se non mirari, cur optimus vir tamdiu hæreat Scheningæ, qui dudum meruisset vel in Helmstadiensi, vel in aliis Academiis, sive Ecclesiasticas Antiquitates, sive Historias profiteri: sic enim divinam sibi videri ordinasse providentiam, quæ in illa Sparta insolitam, in investigandis edendisque rarioribus scriptis ei indulgisset felicitatem. Idem quoque narrabat aliquot claros viros, qui splendidioribus aucti muneribus, ac ob id gravioribus curis & laboribus, non amplius in inquirendis & recensendis scriptis veteribus elaborarint. Quamvis autem illa non negaverim, nescio tamen annon in eo etiam ipsa illa Numinis divini provida eniteat de Madero cura, qui tamdiu Scheningæ servatus, donec ibi novam Aulæ (quantum per Wolfferbytam datur) sedem collocaret non Principum modo Germaniæ, sed totius humani generis amor ac delictum, Serenissimus Dux Brunsvico-Luneburgensis ANTONIUS VLRICVS, Mæcenas literatorum maximus ipso-

AD LECTOREM.

ipsoque Mæcenate major, ac Patri par AVGVSTO. De cuius infinitis laudibus multa mihi essent dicenda, nisi sacrum prope silentium indixisset incredibilis clementia & munificentia, qua proximo anno & Amplissimum Theologorum hujus Academiae Ordinem & me tum in honoribus meis, tum in nuptiis profecutus est. Permite tamen clementissime Princeps, ut alio tempore, & si faverit Deus, in inscriptione Concordiæ CHRISTI Patientis historici, quæ sine ulla adulatione concepimus, liceat profari. Nunc igitur in tanto, & te pro meritis æstimante Principe postliminio recepisti, doctissime Madere, quod in Serenissima, & dum fata sinerent, sapientissima Principe ANNA SOPHIA Brandenb. dudum amisisti. Sed ad filium tuum redeo. Is a nobis Scheningam & post in Academiam Juliam, ubi jam tum in Schradiano convictu & disciplina vixerat, reversus, hinc in paternam missus patriam (Hannoveram dico) ibidem a bonis omnibus ac Aulæ Civitatisq; proceribus in deliciis habitus, brevi procul dubio vel in florentissima illa urbe, vel in amplissimo ducatu, publico admotus fuisset muneri, nisi Potentiss. & quod præsens restatur ævum Invicti Electoris Brandenb. clementia prævenisset. Sed dum in eo est, ut componat se ad ornandam, quam nactus Spartam, ecce ἀπὸ μηχανῆς (ut ita Christiano sensu loquar) apparuit Deus, & præmaturo quidem sed placido excessu cœlestem quam dederat animam, ad se revocat. Quantus inde optimis parentibus natus sit luctus, vel me tacente unusquisque intelligit, cum præsertim acerbus desperatæ valetudinis nuncius in ipsis unice filie nuptiis renunciaretur. Et illa quidem evolavit Hannoveræ, dum gaudia inter ac spem metumque omnes agerent Scheningæ. Verum vix finita erant connubialia festa, cum adventaret tabellarius beatæ ἀναλύσεως index. Brevi post ipse Pater de morte filii me certiore faciens pro epicedio accepit consolatorias, facta simul spe de inscriptione præsentis opusculi. Dum igitur hoc ago, ac editionem paro, ecce Viri, me Christe! optimi, Collegæque conjunctissimi, uxor gravi morbo implicata post



AD LECTOREM

quartum decimum passionis diem, nec quicquam flente, precante, divinam humanamque opem implorante marito, adhibitis medicamentis exquisitis omnibus, tandem placide vita defungitur, animam, maritum, liberos, parentes, cognatos, familiam, divinis manibus commendans. Is casus quomodo me affecerit, dici satis scribique non potest. Intercedit enim cum summo Viro singularis mihi amicitia, quæ ante professoriam quam nactus sum Spartam, coepit, in ea tantas egit radices, ut non nisi a morte desitura, imo ne id quidem, sed æternum duratura sit. Doctrinam Viro & experientiam Augustissimus Cæsar, multi Principes Germaniæ, Italiæ, Galliæ intelligunt, ac tam perspecta est orbi erudito, ut si hic loci eam celebrare instituerem, supervacanea omnis foret opera. Taceo reliquas virtutes: singularem quo inter mortales præcellit candorem, quem ipse toties & in secundis & in arctis rebus sum expertus, non silerem, nisi tempus huic descriptioni præfinitum nimis esset breve. Multum præterea ipsi me obligatum fateor, quod in mea ac conjugis meæ valetudine toties sapientiam, prudentiam, industriam ac felicitatem ejus senserim. Atque hæc conjux mea suavissima (plura non dicam) facit, ut nunc demum videar cognoscere, quanta afficiatur clade, cui talis eripitur. In quam rem cum devenio, non possum non unicum ex Wedelio meo natum mihi dolorem tangere: quod nempe cum tam conjuncte semper vixerimus, nuptias tamen meas ob vocationem Gothanam, ubi magna Princeps ægrotabat, sua præsentia non potuerit illustrare. Eoque is erat major, quo illustrem magis Serenissimi Brunsvvicensium ac Luneburgensium Ducis RVDOLPHI AVGVSTI, Deo hominibusque charissimi, Domini nostri clementissimi personam per demandatam legationem debuisset sustinere. Et multo adhuc magis id mea turbasset hilaria, nisi vices ejus traditæ fuissent inclyto Academiae hujus ornamento Nicolao Christophoro Lynckero, Consiliario Saxonico, & Amplissimi Ordinis Juridici Seniori spectabili. Ceterum acerbius adhuc tulissem

Wc-

AD LECTOREM.

Wedelianum vulnus, nisi in ea incidisset tempora, quæ me publicis privatisque occupationibus, adde & curis ob fluctuantem conjugis valetudinem, habuere distentum: & sic tamen mea exigebat pietas aliquod solatii genus circumspicere, quo Wedelium meum vel recrearem, vel, si id fieri nequit, aliquantisper reficerem. Sic igitur & Ei simul & Madero Tulliaæ vitam statui inscribere, ac huic annotationes quasdam in Sulpicianam epistolam, qua Tullium filiaæ obitum graviter dolentem consolatur, jungere. Illas ipsas nec criminari debeo, nec laudare. Si quid est in iis boni, gravior expressit Salfeldensis circulus: quo de qui me clanculum mordent, non possunt non insigniter meam illustrare innocentiam: et, si ita voluerint, sic brevi illustrabitur, ut ipsos calumniæ pœnituerit. Si quid autem mali in illis habetur, ætas, ac ista quoque tempora excusabunt. Nam ad relegendam, multo minus retexendam telam fuit ocii satis, adde nec ingenii, per tot labores distracti. Si tamen lectoribus non displicuerint hæc quomodocunque sint, alia forte hujus argumenti sequentur. Quanquam qui vel me nec cogitante olim, nec optante, in Theologicas cum Jesuitis Erffurtensibus pertractus sum controversias, ac alia porro habeo in manibus, publico, ceu opinor, bono profutura, quid de ejusmodi pagellis sit sperandum, nihil certi habeo affirmare. Præterea nisi hoc agendum, quod ad illud spectat munus, cujus per clementissimum decretum certam mihi spem fecerunt Sereniss. Saxoniam Duces, Nutritores Academiae munificentissimi, jam pridem aliqua ex Reinesiano Bosianoque nunc meis museis prodissent. Neque enim sibi quisquam persuadeat, cum tinea ac morte luctatura, quæ in Bosiana hæreditate reperi, quæque tam sancte asservaverat vidua Bosiana. Et si maxime ociatorem Velle agere, non ferret tamen vel solius Schilteri (at quanti Viri!) auctoritas, cui multum uti quondam ipse Bosius, ita nunc quoque tanti Viri mediocris successor se debere libens meritoque fatetur. Plura de descriptione non addam, nisi quod in textu

Sul-

AD LECTOREM.

piciano sim secutus novam, splendidam & accuratam Clarissimi
Gravii editionem. Ciceronis faciem ex nummis Bosianis, non
adeo tamen, ut puto, vetustis, exscripsit singularis doctrinae ac
virtutis, & ob id mihi amicissimus Juvenis Jacobus a Mellen Lu-
becensis, idque in Wedelii nostri gratiam, qui non ita pridem
thesaurum nummarium magno coepit colligere studio, nec
contemnendos in eo fecit progressus. Ego tamen vehementer
doleo, quod dum summus Vir tam sollicitè indagat rariores
nummos, Deus Opt. Max. eidem subtraxerit

OPTIMAM MONETAM.





COMMENTATIO
DE VITA
TVLLIAE
M. TVLLII CICERONIS
FILIAE.

§. I.



VLLIA, M. Tullii Ciceronis & Terentiae filia, Nonis Sextilibus nata est: id quod ex Oratione pro Sextio, & Epistola I. libri IV. ad Atticum (quæ loca postea laudabimus) clarissime pater.

§. II.

Quo autem anno Urbis sit in hanc lucem edita, nondum memini me legere. Fit tamen verisimile, intra annui temporis spatium, ex quo Terentiam uxorem duxit Tullius, hac filia fuisse auctum.

§. III.

Ceterum quamvis iste annus, quo Ciceroni Terentia nupsit, disertis verbis in scriptis Ciceronianis non memoretur, parum tamen abest, quin credam, anno V.C. I^oCLXXVI. factum esse.

676.

§. IV.

Postquam enim anno V.C. I^oCLXXIII. L. Corn. Sulla II. & Q. Cæcilio Metello Coss. Sextum Roscium Amerinum parricidii accusatum contra Sullæ dominantis opes mascule defenderat, victor in causa factus, potentiam

A

Sul-

Sullæ metuens non multo post Athenas secessit, & se totum Philosophiæ dedit: nec prius Romam rediit, quam Sullam decessisse acceperat. Tum peragrata Asia, postquam Rhodi aliquamdiu substitisset, triginta annos natus Romam se ex Græcia recepit. Id quod eo, quem memoravimus anno sexcentesimo sexto & septuagesimo V. C. factum esse, certum est.

§. V.

Quod autem eo anno animum ad ducendam uxorem applicuerit, nec multo post ex Tulliola pater factus sit, inde videtur maxime reddi probabile, quod laudatam filiam anno 13CLXXIX. C. Pisoni desponderit. Quod si enim diutius Ciceronem matrimonium distulisse dixeris, næ admodum juvencula fuisset Tullia, cum in Pisonis manum veniret.

§. VI.

Ex quo etiam iste Plutarchi error refellendus est, qui Ciceronem, quo tempore Verrem accusavit, parvam pecuniam possedisse scribit. Nam multo ante Terentiæ dote auctum, hæc Tullia sponsalia liquido ostendunt. Nam si ab hoc tempore, quo L. Julius Cæsar, & C. Marcius Figulus Coss. fuerunt, ad Cn. Pompejum & M. Licinium Crassum Coss. quibus a Cicerone Verres accusatus est, reverteris, sex annos summum numerabis: quot annos natam filiam, ne dum minorem, nunquam Tullius Pisoni despondisset.

§. VII.

Fuit Tullia bonæ indolis puella, patrique maxime morigera. Atque hinc etiam Pater summo, & pœne incredibili amore ipsam est complexus. Quamobrem passim in epistolis *delicias & deliciolas, suam animam, lucem, desiderium*, nuncupat. Ipsum *Tulliola* deminutum nomen

men

men, quo toties eam appellavit, tenerrimi hujus amoris est indicium.

§. VIII.

Illius igitur miseras, cum in exilium ejectus esset, acerbis sæpius lacrumis deflet. Ad Terentiam scribit lib. XIV. Fam. Ep. I. *Me miserum, te ista virtute, fide, probitate, humanitate, in tantas ærumnas propter me incidisse: Tulliolamq; nostram, ex quo Patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus.* Epist. II. *Ad te vero, & ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lacrumis scribere. Prætereo alia.*

§. IX.

At apage impurum os, quod sub Sallustiano latet nomine! Hic homo nescio quid sinistri ex hoc amore genuino suspicatus est. Verba Declamatoris ista sunt: *Verum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos tollit. Vxor sacrilega ac perjuriis delibuta: filia matris pellex, tibi jucundior atq; obsequentior, quam Parenti par est.*

§. X.

Romanorum illustrium mos fuit, etiam matronis suis indulgere, ut literas humaniores discerent: & hoc nomine vel conducebantur privatim præceptores, haud raro eunuchi, aut in ludo publico instituebantur, imo mariti vel parentes sæpius magistros agebant. Quidni idem de Tullia nostra affirmemus, cui tam eruditus pater contigit; ad cujus domum docti viri confluebant undique?

§. XI.

Proximo ante Consulatum anno, qui ab V. C. erat **15**CLXXXIX, pater Tulliam C. Calpurnio Pisoni Frugi, L. F. despondit. Sic enim scribit ad Attic, lib. I. ep. II. *Tulliolam C. Pisoni L. F. Frugi despondimus.*

A 2

§. XII.

689.

§. XII.

Cum hoc Pisone Tullia per sexennium in summa vixit concordia. Hujus rei illustre est indicium, quod gener pro socero in exilium ejecto multum laboravit, seseque etiam ad pedes Pisonis Cos. submitit, qui tamen eum a genibus suis repulit. Cic. pro Sextio: *Vexabatur uxor mea, liberi ad necem querebantur: gener, & Piso gener, a Pisonis Cos. pedibus supplex rejiciebatur.*

§. XIII.

Prædicat etiam Cicero hujus generi summam erga se pietatem summumque studium, tum in Orationibus, tum in Epistolis. Post reditum in Senatu: *Alter fuit propugnator mearum fortunarum & defensor assiduus, summa virtute & pietate, C. Piso gener: qui minas inimicorum meorum; qui inimicitias affinis mei, propinqui sui Cos. qui Pontum & Bithyniam Quæstor pro mea salute neglexit. Post reditum ad Quirites: Me autem nudum a propinquis, cognatione munitum, nullo armorum ac tumultus metu, C. Pisonis generi mei, divina quædam & inaudita auctoritas atque virtus, fratrisque mei miserrimi atque optimi, quotidiana lacruma, sordesque lugubres a vobis deprecate sunt.*

§. XIV.

Lib. IV. Fam. Ep. I. *Pisonis humanitas, virtus, amor in nos tantus est, ut nihil supra possit. Vtinam ea res ei voluptati sit: gloria video fore. Epist. II. Pisonem nostrum merito ejus amo plurimum, eum, ut potui, per literas cohortatus sum, gratiasque egi, ut debui. Epist. III. Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos, & officio, & ego perspicio, & omnes prædicant. Dii faxint, ut tali genero mihi presenti tecum simul, ac cum liberis nostris frui liceat.*

§. XV.

Ei vero fructum tantæ pietatis ferre non licuit. Paulo

lo ante enim quam Cicero ab exilio reverteretur, decessit. Hinc de eo tanquam de mortuo loquitur Orat. in Vatinius: *C. Piso gener meus, in summa copia optimorum adolescentium, pari continentia, virtute, pietate, reliquit neminem.* Et Famil. lib. XIII. Ep. XXXI. *C. Flavio, honesto & ornato equite Romano, utor valde familiariter. Fuit enim generi mei C. Pisonis, per necessarius.*

§. XVI.

Concludam hunc de primo Tulliae marito sermonem exquisito elogio, quo ipsum ornat socer libro de Claris Oratoribus: *Ne ingenio quidem qui prestiterit facile dixerim C. Pisoni genero meo. Nullum tempus illi unquam vacabat aut a forensi dictione, aut a commentatione domestica, aut a scribendo, aut a cogitando. Itaque tantos processus efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur: eratque verborum & delectus elegans, & apta & quasi rotunda constructio: cumque argumenta ab eo excogitabantur multa & firma ad probandum, tum concinnata acutaeque sententia, gestusque natura ita venustus, ut ars etiam, quae non erat, & e disciplina motus quidam videretur accedere. Vereor ne amore videar plura, quam fuerint in illo, dicere, quod non ita est: alia enim de illo majora dici possunt. Nam nec continentia, nec pietate, nec ullo genere virtutis quemquam ejusdem aetatis cum illo conferendum puto.*

§. XVII.

At vero, quia Tulliam patri ab exilio revertenti obviam Brundisii venisse legimus, id ab excessu conjugis factum autumo. Ita autem pater lib. IV. ad Attic. Epist. I. *Brundisium veni Nonis Sextil. Ibi mihi Tulliola mea fuit praesto, natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat & Brundisinae colonia, & tuae vicina Salutis. Quae res animadversa a multitudine, summa Brundisinorum gratulatione celebrata est.*

6
Et pro Sextio : *Reditus vero meus qui fuerit, quis ignorat? quemadmodum mihi adveniendi tanquam totius Italiae, atque ipsius patriae dexteram porrexerint Brundisini? cum ipsis Nonis Sextil. idem dies adventus mei fuisset, qui reditus; natalis idem charissimae filiae: quam ex gravissimo tum primum desiderio, luctuque conspexi: idem etiam ipsius Coloniae Brundisinae.*

§. XVIII.

697. A felici autem Ciceronis in urbem reditu, cum Tullia eluxisset Pisonem, pater pridie Nonar. Aprilis eam Furio Crassipedi (praenomen non reperimus) despondit, sponsalia VIII. Idus April. A. V. C. 1500 CXC VII. Cn. Corn. Lentulo Marcellino & L. Marcio Philippo Coss. celebravit. Scribit pater ea de re ad Q. Fratrem lib. II. ep. IV. *De nostra Tullia, tui me hercule amantissima spero cum Crassipede nos confecisse. Et seq. Epist. Dederam ad te literas antea, quibus erat scriptum, Tulliam nostram Crassipedi pridie Non. April. esse desponsatam. Et Epist. VI. Ad VIII. Id. April. sponsalia Crassipedi praeui. Huic convivio puer optimus Quintus tuus meusque, quod per leviter commotus fuerat, defuit. De dote, quam Crassipes accepit, haec accipienda sunt lib. IV. ad Attic. Ep. V. Viaticum Crassipes praeipuit,*

§. XIX.

De hac conjunctione gratulatus fuit Ciceroni Lentulus: cui respondet Cicero lib. I. Famil. Ep. VII. *Quod mihi de filia, & de Crassipede gratularis; agnosco humanitatem tuam; speroque & opto, nobis hanc conjunctionem voluptati fore.*

§. XX.

Quot annos cum Crassipede vixerit Tullia; & an eum per mortem amiserit, an repudiata fuerit ab illo, neque ex ipsius Tullii, neque ex aliorum scriptis licet eruere.

Non

7

Non immerito autem miramur Plutarchum, & Asconium, duos tantum Ciceronis generos nominare, Pisonem & Lentulum. Quamquam etiam in Lentuli nomine Manutius eosdem peccasse putat, cum nemo ejus nominis inter Ciceronis generos fuerit. Sed Sebastianus Corradus in *Quaestura*, & Franciscus Fabricius in *Vita Ciceronis*, Dolabellam, etiam Lentuli nomen habuisse volunt.

§. XXI.

Anno 1501. factum erat Sc. *Ne quis praetorius aut consularis intra quinquennium in provinciam ire possit*, ut Dio scribit lib. XL. Hoc Sc. ire in provincias coacti sunt, qui in eas ex praetura, aut ex consulatu non iverant. In his erat M. Tullius: cujus fors cum dejecta esset, Cilicia provincia consularis ei obvenit. Ivit igitur Cicero in Ciliciam sequenti anno 1502. & uxorem Terentiam, Tulliamque filiam Romae reliquit: quarum curam non semel commendat T. Pomponio Attico.

701.

702.

§. XXII.

Dum igitur Cicero est in provincia, Tullia P. Corn. Dolabellae ab amicis desponsata est A. V. C. 1503. L. Aemilio Paulo & C. Claudio Marcello Coss.

703.

§. XXIII.

Gratulatur Ciceroni de hoc conjugio M. Coelius, Fam. lib. VIII. Ep. XIII. Verba ejus haec sunt: *Gratulabor tibi de affinitate viri, medius fidius, optimi. nam hoc ego de illo existimo. Cetera porro, quibus adhuc ille sibi parum utilis fuit, & aetate jam sunt decursa, & consuetudine atque auctoritate tua, pudore Tulliae, si qua restabunt, confido celeriter sublatum iri. Non est enim pugnax vitii, neque hebes ad id, quod melius sit intelligendum. Cui Cicero respondet lib. II. ep. XV. Dolabellam a te gaudeo primum laudari*

acini

8
deinde etiam amari. nam ea, quae speras, Tullia mea prudentia temperari posse, scio cui epistola tua respondeant.

§. XXIV.

Notatur autem in his Dolabellæ temeritas, quod Appium, cui Cicero in provincia successerat, repetundarum accusaverit. De hoc ad Ciceronem ista Caelius lib. VIII. ep. VI. Non dubito, quin perlatum sit ad te, Appium a Dolabella reum factum: sane quam non ea, quae existimaveram, invidia. Neque enim stulte Appius, qui simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in urbem, triumphique postulationem abjecerat. Quo factore rudit sermones: paratiorque visus est, quam speraveras accusator.

§. XXV.

Et sane non admodum placuit socero hoc institutum generi. Hinc ad ipsum Appium scribit lib. III. ep. X. Quum est ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium facesserent; etsi graviter primo nuncio commotus sum, quod nihil tam præter opinionem meam accidere potuit. Et mox multo clarius: illud vero mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuisse in eo adolescente, cujus ego salutem duobus capitis iudiciis summa contentione defendi, ut tuis inimicitias suscipiendus oblivisceretur patroni omnium fortunarum ac rationum suarum; præsertim cum tu omnibus vel ornamentis vel præsidis redundares, illi (ut levissime dicam) multa deessent: cujus sermo stultus & puerilis erat jam antea ad me a M. Caelio, familiari nostro, perscriptus; de quo item sermone multa scripta sunt abs te. Ego autem citius cum eo, qui tuas inimicitias suscepisset, veterem conjunctionem diremissem, quam novam conciliaissem.

§. XXVI.

Fortassis autem aliquis cogitare posset, paulo finiste-

Merius ad Appium de genero scripsisse, ut omnem hujus
accusationis suspicionem a se removeret : præsertim
cum in illa ad Cœlium, quam paulo ante laudavimus, et-
iam hæc legantur; *Quid si meam legas, quam ego tum ex
tuis literis misi ad Appium? sed quid agas? sic vivitur.
Quod actum est, dii approbent. Spero fore jucundum ge-
nerum nobis.* Et ad Atticum lib. VI. Ep. VI. *Ego, dum in
provincia omnibus rebus Appium orno, subito sum factus
ejus accusatoris socer. Id quidem, inquis, dii approbent. Ita
velim; teque ita cupere certo scio.* Nam Ciceronem cum
Appio similtates exercuisse, aliquot epistolæ ostendunt.
Rediit tamen cum ipso in gratiam; atque adeo cum ge-
ner litem ei moveret, veritus est, ne multi putarent, se
id ex animo non fecisse.

§. XXVII.

Attamen ne vel sic tamen Ciceroni in omnibus sa-
tisfecisse novum generum existimamus. Ita enim ad At-
ticum scribit lib. VII. Ep. III. *Quid superest? etiam ge-
ner est suavis mihi, Tullia, Terentia: quantumvis vel inge-
nii, vel humanitatis. satis. reliqua quæ nosti ferenda.*

§. XXVIII.

Quæ Tulliam & Terentiam moverint ad hanc con-
ditionem eligendam, obsequium fuere & singularis Do-
labellæ comitas. Nam alii aderant proci, & hos inter
Titus Nero, qui jam ea de re cum Cicerone agere cœpe-
rat. Hinc ad Attic. l. VI. ep. VI. *Sed crede mihi, nihil mi-
nus putaram ego, qui de Tito Nerone, qui mecum egerat, cer-
tos homines ad mulieres miseram, qui Romam venerunt, fa-
ctis sponsalibus. sed hoc spero melius. mulieres quidem val-
de intelligo delectari obsequio & comitate adolescentis. ce-
tera non* *ἔα καὶ ἴσεν.*

§. XXIX.

Hic Nero videtur esse Titus Claudius Nero, cujus

B

UXO-

uxorem Liviam Drusillam Augustus postea prænantem, abduxit, ante jam Tiberium, qui postea Imperator factus, enixam. Silio Pro-prætori hunc Neronem ejusdemque negocia prolixè commendat Cicero lib. XIII. Fam. Ep. LXIV.

§. XXX.

Adeo autem placuit Tulliaæ novi sponsi comitas, ut minori ejus statura non offenderetur. Notus est Cicero- nis jocus: *Quis generum meum alligavit gladio?*

§. XXXI.

Patriciusne an plebejus fuerit Dolabella, dubitari video. Verum dubitationem prorsus omnem tollit Dio, qui libro XLII. illum ad plebem transisse scribit. Itaque tribunus plebis postea fuit, sed desit esse patricius.

§. XXXII.

Non adeo diu cum Dolabella suo vixerat, quando Tullia in gravem morbum incideret, qui patrem in Pompejanis castris tunc hærentem valde afflixit. Nam sic ad Atticum scribit lib. XI. Ep. VI. *Tullia mea morbus & imbecillitas corporis me exanimat: quam tibi intelligo magna cura esse: quod est mihi gratissimum.* Et ad Terentiam lib. XIV. Fam. Ep. XIX. *In maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tullia nostra. De qua nihil est, quod ad te plura scribam. tibi enim æque magna cura esse certo scio.* Scripsisse etiam ea de re ad Leptam & Trebatium, ex ejusdem libri epistola XVII. & VIII. lib. XI. ad Atticum cognoscimus.

§. XXXIII.

Ægrotavit etiam Dolabella. Sic enim lib. XIV. Fam. Ep. IX. ad Terentiam: *Ad ceteras meas miseras accessit dolor e Dolabella valetudine & Tullia.*

§. XXXIV.

Postquam convaluit Tullia, ad patrem est profecta, quem Brundisii convenit pridie Id. Junii A. V. C. MCCVI.

Lib.

Lib. XIV. Fam. Ep. XI. ad uxorem scribit Cicero: *Tullia nostra venit ad me pridie Id. Junii. cujus summa virtute, & singulari humanitate graviore etiam sum dolore affectus, nostra factum esse negligentia, ut longe alia in fortuna esset, atque ejus pietas ac dignitas postulabat. Et Epist. ejusdem libri XV. quæ scripta est XII. Kl. Quintil. Tulliam adhuc mecum teneo. lib. XI. ad Attic. Ep. XVII. Tullia ad me venit pridie Idus Junii, deque tua erga se observantia benivolentiaque mihi plurima exposuit, literasque reddidit trinas. Ego autem ex ipsius virtute, humanitate, pietate, non modo eam voluptatem non cepi, quam capere ex singulari filia debui; sed etiam incredibili sum dolore affectus, tale ingenium in tam misera fortuna versari, idque accidere nullo ipsius delicto, summa culpa mea.*

§. XXXV.

Non admodum diu apud patrem fuisse, est credibile. In eadem epistola ad Atticum hæc verba id declarant: *Tulliam autem non videbam esse causam, cur diutius mecum tanto in communi mœrore retinerem. itaque matri eam cum primum per ipsam liceret, eram remissurus.*

§. XXXVI.

Plutarchus, præter alias causas, quibus adductus Cicero divortium cum Terentia fecerit, etiam has fuisse ait, quod nec ipsa ad maritum iverit Brundisium, nec abeuntem Tulliam idoneo comitatu, nec viatico instruxerit. Quicquid sit de posteriori; prius esse commentitium, apparet ex eo, quod ipse Cicero iter disuasit. *In viam quod te des hoc tempore, nihil est. & longum est iter, & non tutum: & non video, quid prodesse possis, si veneris.*

§. XXXVII.

Veram hujus divortii causam ex ipso Cicerone docemur: qui satis aperte ad Plancium lib. IV. ep. XIV.

B 2

Quod

Quod autem mihi de eo, quod egerim, gratularis : te ita velle, certo scio : sed ego tam misero tempore nihil novi consilii cepissem, nisi in reditu meo nibilo meliores res domesticas, quam Remp. offendissem. quibus enim pro meis immortalibus beneficiis carissima mea salus, & mea fortuna esse debebant; cum propter eorum scelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil insidiis vacuum viderem; novarum me necessitudinum fidelitate contra veterem perfidiam munendum putavi. §. XXXVIII.

Sed quamnam causam dixeris, quod Tullia longum illud iter, & non tutum suscepit? Respondet Manutius in Commentario ad Epist. XI. lib. XIV. Famil. ut Patrem animi dolore perturbatum aspectu & sermone suo consolaretur. §. XXXIX.

Verum longe aliud in causa fuisse existimo; nempe ut parentis consilio uteretur, quid sibi agendum foret, cum Dolabella maritus in tribunatu suo omnia miscere, & de tabulis novis, quod ære alieno esset obrutus, cogitaret: deinde ut parenti persuaderet forsan, ut missis Pompejanis partibus vel Cæsarem sequeretur, vel se ad ocium conferret. §. XL.

At bene est, quod Manutius in Commentariis Epistolarum ad Attic. ea quæ de Dolabellæ ingenio & debitis dixi, subodoratus est. Nam sic ad illa verba, in quibus Cicero filiam sua culpa in tantas misérias incidisse scribit, ex Tullii mente commentatur. Mea negligentia factum est, ut Dolabella nuberet : quem ego probare generum non debui, nisi prius omnia perscrutatus, non solum quod ad mores, sed etiam quod ad facultates attineret. quod si fecissem, ejus ære alieno perspecto, nunquam passus essem, ut homini in tantæ rei domesticæ difficultate constituto filia mea collocaretur. sed commisi, ut me absente res per ami-

13
eos ageretur: quibus in Ciliciam proficiscens ita mandavi,
ut, quoniam ego tam longe abfuturus eram, de Tullia mea
matrimonio agerent ipsi quod probassent. in quo meam ne-
gligentiam agnosco. tantam enim rem aliis committere non
debui, sed in reditum meum integram reservare.

§. XLI.

Tabulas novas in tribunatu molitus est Dolabella:
& exinde orta seditio. Cic. lib. XI. ad Attic. Ep. XXII.
O dii! generumve nostrum potissimum, ut hoc, vel tabulas
novas? Lib. XIV. Ep. XXI. Exspecto Octavii concionem,
& si quid aliud; maxime autem ecquid Dolabella tinniat,
an in meo nomine tabulas novas fecerit. Epitoma Livii
Decad. XII. lib. III. Cum seditioes Romæ a P. Dolabella
tribuno pl. legem ferente de novis tabulis excitatae essent, &
ex ea causa plebs tumultuaretur, inductis a M. Antonio ma-
gistro equitum in urbem militibus, octingenti e plebe cæsi
sunt. Confer, si placet, Dionem lib. XII. & Plutarchum
in Cæsare.

§. XLII.

Hæ sunt illæ actiones generi, quas tangit & dolet
Cicero in Epistolis ad Atticum. Quod me audis fractio-
rem esse animo: quid putas, cum videas accessisse ad supe-
riores aegritudines præclaras generi actiones? lib. XI. Ep.
XII. Omnium conspectum horreo, præsertim hoc genero. Ep.
XIV. Hæc ad te scribo, non ut queas tu demere sollicitudi-
nem, sed ut cognoscam, ecquid tu ad ea afferas, quæ me confi-
ciunt: ad quæ gener accedit, & cetera, quæ fletu reprimor,
ne scribam.

§. XLIII.

Ut autem sciant tirones, quid tabulæ novæ fuerint,
dabimus earum descriptionem ex mente summi Viri Jo-
hannis Schefferi, qui elegantem de iis libellum edidit.
Sunt tabulæ novæ nihil aliud, quam lex seu decretum com-
muni consensu factum, quo civitate per alterius partis ultri-

mam pauperiem, & ex ea seditionem, in extremo periculo constituta, nexis atque obaratis, ad concordiam faciendam, debita in univrsam remittuntur, ita ut hoc nomine nec corpora eorum, neque bona vinc̄ta teneri queant.

§. XLIV.

Ceterum non mirum est Ciceronem tam ægre tulisse Dolabellæ novas tabulas; cum huic remissioni debitorum semper fuerit infensus. Diserte mentem suam declaravit opere de Officiis. Sic enim lib. II. *Qui pecunias creditas condonandas putant, ii labefactant fundamenta Reip.* Et eodem libro: *Fides esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum.*

§. XLV.

Misera ergo fuit Tullia in publicis his miseriis, quas excitabat maritus. Quare pater ipsam Attico diligentissime commendat lib. XI. ep. IX. *Ita omnibus rebus urgeor: quas sustinere vix possum, vel plaxe nullo modo possum: quibus in miseriis una est pro omnibus, quod istam miseram, patrimonio, fortuna omni spoliatam relinquam. Quare te, ut polliceris, videre plane velim: alium enim, cui illam commendem, habeo neminem; quoniam matri quoque eadem intellexi esse parata, quæ mihi.*

§. XLVI.

Alteram itineris causam Tulliaë fuisse dixi, ut patrem a Pompejanis partibus retraheret. Conjecturam esse fateor; sed quam tamen cur planè rejiciamus, non video. Cicero Pompejum sequebatur: Dolabella Cæsarem. Annon putas id dissidio inter conjuges dedisse ansam? Equidem sic existimo.

§. XLVII.

Atque hinc est, quod Antonius vehementer hortabatur Ciceronem, ut vel in Dolabellæ Tulliaëque suæ gratiam consilium mutaret. Sic enim epistola quæ existat

lib.

lib. X. ad Atticum: *Te iturum trans mare, credere non
possum, cum tanti facias Dolabellam & Tulliam tuam, fe-
minam lectissimam, tantique ab omnibus nobis fias, quibus
me hercule dignitas amplitudoque tua pæne carior est, quam
tibi ipsi.* §. XLVIII.

Imo vero ipse Dolabella, singulari epistola, quæ est
nona libri IX. ad Famil. magno studio, & gravibus argu-
mentis idem suadet focero.

§. XLIX.

In quo cum non obtemperaret Cicero, id etiam præ-
ter cetera forte in causa esse potuit, cur foeminæ lectissi-
mæ nuncium remitteret. Divortium enim cum Tullia
fecisse Dolabellam ex consolatoria Sulpicii discimus,
qua in hæc habentur: *Quid autem fuit, quod illam hoc
tempore ad vivendum magnopere invitare possit? quæ res?
quæ spes? quod animi solatium? ut cum aliquo adolescente
primario conjuncta aetatem ageret? licitum est tibi, credo,
pro tua dignitate ex hac juventute generum deligere, cujus
fidei liberos tuos te tuto committere putares.* Ad Leptam
ipse Cicero scribit lib. VI. Fam. Ep. XVIII. *Me Romæ te-
nuit omnino Tullie partus: sed cum ea, quemadmodum spe-
ro, satis firma sit: teneor tamen, dum a Dolabella procura-
toribus exigam primam pensionem.*

§. L.

Nimirum post divortium dos reddebatur tribus pen-
sionibus, quod tempus, annuam, bimam, trimam diem
vocabant. De prima pensione aliquid habetur lib. XII.
ad Attic. Ep. VIII. Secundæ pensionis mentionem fa-
cit Cicero lib. XI. ad Att. Ep. IV. *De pensione altera, oro te,
omni cura considera.* Tertiæ pensionis meminuit lib. XI.
Ep. XXII. *Placet mihi igitur, & idem tibi, nuncium remitti,
vetet fortasse tertiam pensionem,*

§. XLI.

His in locis Cicero de Terentiæ suæ dotē agit. Atque idem etiam facit lib. XI. Ep. II. *De dote, quod scribis, per omnes deos te obtestor, ut totam rem suscipias, & illam miseram mea culpa & negligentia tuæque meis opibus.* Hæc autem de Tullia dote non esse accipienda, intelligere est ex tempore, quo scripta hæc epistola, & quo divortium nondum fecit Dolabella. Nam aliquanto post hoc tempus, amissis jam Hispaniis Tulliam apud Dolabellam fuisse, ipsius Dolabellæ ad Ciceronem literæ ostendunt, quarum hoc exordium: *Si vales, gaudeo, & ipse valeo, & Tullia nostra recte valet.*

At enim si Tulliam a Dolabella dimissam statuimus, quid fiet de epistola XI. lib. IX. ad Famil. qua in de filia morte ad Dolabellam cum amoris in eum significatione non vulgari scribit? Dixerimus cum Manutio, Ciceronem servisse tempori, doloremque quem ex divortio contraxerat egregie dissimulasse. Id nisi fecisset, sed Dolabellam acerbis irritasset dictis, is apud Cæsarem, cui erat in deliciis, facile aliquid contra veterem socerum habuisset moliri.

Quantum Dolabella apud Cæsarem valuerit, hæc ipsius Cæsaris ad Ciceronem verba demonstrant: *Dolabella tuo nihil scito mihi esse jucundius. hanc adeo habebo gratiam illi: neque enim aliter facere poterit: tanta eius humanitas, is sensus, ea in me est benivolentia.* Habentur hæc in epistola, quæ inter Ciceronianas ad Atticum post XVI. lib. IX. apparet. Nec diffitetur Dolabella, qui hæc ad Ciceronem scribit: *Quæcunque de tua dignitate ab Imperatore erunt impetranda, qua est humanitate Cæsar, facillimum erit ab eo tibi ipsi impetrare, & meas tamen pre-*
ces

ces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto.
lib. IX. Fam. Ep. IX.

§. LIV.

Dimisit autem Dolabella Tulliam prænantem.
Nam feliciter enixa est infantem; sed quem mox decessisse credimus. Patet id ex epistola ultima lib. X. ad Atticum: *Tullia mea peperit XIII. Kal. Jun. puerum ἐπιμαρτυρία. quod εὐτόκῃσεν gaudebam. quod quidem est natum, perimbecillum est.*

§. LV.

Quia igitur, ceu scribit Cicero, feliciter peperit Tullia, non tam in partu censenda est de vita decessisse, quæ est Plutarchi & Asconii sententia; quam non diu post partum diem obiisse.

§. LVI.

Non autem decessit apud Lentulum, (si is est P. Cornelius Dolabella) uti iterum scribunt Plutarchus & Asconius; sed apud patrem M. Tullium.

§. LVII.

Quanto dolore propter interitum charissimæ filia exarserit pater, dici satis non potest. Ipse id ostendit in epistolis, quas tum ad Atticum misit, quæ habentur libris XII. & XIII. Se tum præ mœrore non fuisse sapientem, in Tusculanis Quæstionibus fateatur. Lactantio teste affirmavit, *se tum a fortuna victum turpiter.*

§. LVIII.

Plutarchus in vita Ciceronis auctor est, undique convenisse Philosophos ad Ciceronem consolandum. Quod si de iis acceperis, qui Romæ tum fuerunt, non negaverim: at ex Græcia quosdam hac solum fini advolasse dubitaverim.

§. LIX.

Reliquit autem funestam domum, & ad Atticum

C

pau-

paulatim concessit, mox Asturam profectus est, & se in solitudinem abdedit. Lib. XII. ad Attic. Ep. XVI. *Nec tua domi probabatur, nec mea poteram. Ep. XL. Quod scribis te vereri, ne & gratia & auctoritas nostra hoc meo mærore minatur: ego, quid homines aut reprehendant, aut postulent, nescio; ne doleam? qui potest? ne jaceam? quis unquam minus? dum tua me domus levabat, quis a me exclusus? quis venit, qui offenderetur? Asturam sum a te profectus.*

§. LIX.

Solitudinem, quod solent mœsti, maxime appetiit. Epist. xv. *In hac solitudine careo omnium colloquio; cumque mane me in sylvam abstrusi densam & asperam, non ex eo inde ante vesperam. Secundum te, nihil est mihi amicus solitudine. In ea mihi omnis sermo est in literis. eum tamen interpellat fletus: cui repugno, quoad possum. sed adhuc pares non sumus. Epist. XVI. Mihi adhuc nihil prius fuit hac solitudine. Ep. XVIII. Nunc omnia respuo, nec quicquam habeo tolerabilius, quam solitudinem. Ep. XIV. Solitudo aliquid adjuvat.*

§. LX.

Misere tum ad Tullium consolatorias præter ceteros C. Julius Cæsar, L. Lucejus, M. Brutus, Servius Sulpicius. De Cæsaris literis ad Atticum scripsit lib. XIII. Ep. XX. *A Cæsare literas accepi consolatorias, datas prid. Kal. Maji Hispali. Lucejo respondet lib. V. ep. XIII. ad Fam. Ad Brutum scribit Epist. IX. Funderer officio, quo tu functus es in meo luctu, teque per literas consolarem, nisi scirem his remediis, quibus meum dolorem tu levasses, te in tuo non egere.*

§. LXI.

Cum autem amicorum solatia nihil proficerent, ipse se peculiari scripto consolatus est, quod Consolationem inscripsit. Hoc de libro sic secundo de Divinatione refert: *Quid ego de consolatione dicam? que mihi quidem*

dem

19

dem ipsi sane aliquantum medetur, ceteris item multum illam profuturam puto. Et in Tuscul. Quæstion. Ægritudinis sedatio & hesternæ disputatione explicata est, & in consolationis libro, quem in medio (non enim sapientes eramus) mœrore & dolore conscripsimus: quodque vetat Chrysippus, ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus, natureque vim attulimus, ut magnitudini medicine doloris magnitudo concederet. Lib. xii. ad Attic. Ep. xxviii. Quod me ipse per literas consolatus sum, non poenitet me, quantum profecerim. mœrorem minui: dolorem nec potui, nec, si possem, vellem.

§. LXII.

Cœpit jam tum de hoc libro cogitare, cum ab obitu Tullia in Attici domo ageret, cujus Bibliotheca in hanc rem usus est. Ep. xiv. Quod me ab hoc mœrore recreari vis; facis, ut omnia: sed, me mihi non defuisse, tu testis es. nihil enim de mœrore minuendo scriptum ab ullo est, quod ego non domi tue legerim. sed omnem consolationem vincit dolor. quin etiam feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per literas consolaret. quem librum ad te mittam, si descripserint librarii. affirmo tibi nullam consolationem esse talem.

§. LXIII.

Multa præclare ab aliis dicta de mœrore minuendo in hunc librum retulit. Ep. xxi. Neque tamen progredior longius, quam mihi doctissimi homines concedunt. quorum scripta omnia, quaecunque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis egroti, accipere medicinam; sed in mea etiam scripta transtuli; quod certe afflictis & fractis animi non fuit.

§. LXIV.

Multis etiam historiis hunc librum exornavit.

C. 2. Ep.

Ep. xx. ad Atticum hæc reperio. *Velim me facias certiore[m] proximis literis, Cn. Cæpio, Serviliae Claudii pater, vivone patre suo naufragio perierit, an mortuo; item Rutilia, vivone C. Cotta, filio suo, mortua sit, an mortuo. pertinent ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus. Epist. xxii. De Rutilia, quoniam videris dubitare, scribes ad me, cum scies, sed quamprimum; Et num Clodia, D. Bruto Consulari, filio suo, mortuo, vixerit. Id de Marcello, aut certe de Postumia sciri potest; illud autem de M. Cotta, aut de Syro, aut de Satyro.* Hieronymus Epitaphio Nepotiani: *Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scæpolas, Metellos, Scauros, Martios, Crassos, Marcellos, atque Aufidios, quorum non minor in luctu, quam in bellis virtus fuit, Et quorum orbitates in Consolationis libro Tullius explicavit.* §. LXV.

Legerunt hunc librum prisca aliquot Ecclesie Doctores. Multa ex eo laudat Lactantius Firmianus in Divinarum Institutionum libris. Augustinus de eodem lib. xix. de Civ. Dei cap. iv. *Quis enim sufficit quantovis eloquentie flumine vitæ hujus misérias explicare, quam lamentatus est Cicero in Consolatione de morte filie, sicut potuit? sed quantum est quod potuit?* Hieronymus in Epitaphio Nepotiani testatur Crantorem fuisse in eo imitatum. Sic enim habet: *Legimus Crantorem, cujus volumen ad confovendum dolorem secutus est Cicero. Scripsit autem Crantor ad Hippoclem, consolando eum super morte filiorum, teste Plutarcho in libello consolatorio.*

§. LXVI. Perijt præclarum hoc scriptum. Nam quod hodie sub Ciceronianæ Consolationis nomine circumfertur, foetus est supposititius. Dudum id ostenderunt Justus Lipsius & Janus Gvilielmus: quorum argumenta huc referre nihil attinet. §. LXVII.

§. LXVII.

De Consolatione Ciceronis satis. nondum de Tullia. Nam Ciceroni satis non fuit tam tenere amasse, tam graviter doluisse, scripto præclaro parentasse filia: Manibus etiam Tulliaë fanum consecravit. Epist. xix. ad Attic. *Dum recordationes fugio, quæ quasi morsu quodam dolorem efficiunt, refugio a te admonendo. quod velim mihi ignoscas, cui cuiusmodi est. etenim habeo nonnullos ex iis, quos nunc lectito, auctores, qui dicant, fieri id oportere, quod sæpe tecum egi, & quod a te approbari volo. de fano illo dico, de quo tantum, quantum me amas, velim, cogites. equidem neque de genere dubito; placet enim mihi Cluatii: neque de re; statutum est enim; de loco nonnunquam. velim igitur cogites. Ego quantum his temporibus tam eruditus fieri poterit, profecto illam consecrabo omni genere monumentorum, ab omnium ingenii scriptorum, & Græcorum & Latinorum.* Epist. xxxvi. *Fanum fieri volo; neque hoc mihi Suada erui potest.* De eodem fano ferme per integram epistolam xxxvii. agit, magnaque pars epistolæ sequentis in eo occupatur: ut reliquas præteream.

§. LXVIII.

Ut id faceret, voti se religione teneri scribit. *Hoc mihi debere videor, neque levare posse nisi solvero, aut videro me posse solvere, id est, locum, qualem volo, invenero.* Epist. xxxiii. Sic Epist. xliii. *Ego me maiore religione, quam quisquam fuit, illius voti obstrictum puto.* Epist. xli. *Redeo ad fanum, nisi hac æstate absolutum erit, quam vides integram restare, scelere me liberatum non putabo.* Nam scelerati habebantur, qui votum non solvebant.

§. LXIX.

Ἄπο θεῶν Tulliaë eo ipso in animo habuit Tullius, & fortassis etiam, quæ erat infinita in hoc viro gloria cupidi-

ditas, sui ipsius. Ep. XII. *Insula Arpinas habere potest germanam Διοφωσιν. sed vereor, ne minorem τιμὴν habere videatur.* Ep. XXXVII. *Quod me a mæstria avocas, multum levaris, si locum fano dederis. multa mihi eis Διοφωσιν in mentem veniunt.* Et multo clarius Epist. XXXVI. *Fanum fieri volo; neq; hoc mihi suada erui potest: Sepulcri similitudinem effugere, non tam propter pœnam legis studeo, quam ut maxime assequar Διοφωσιν: quod poteram, si in villa facerem. sed, ut sepe locuti sumus, commutationes dominorum reformido. in agro ubicunque fecero, mihi videor assequi posse, ut posteritas habeat religionem.*

§. LXX.


Plutarchus Ciceronem Popiliæ, quam dimissa Terentia duxerat, nuncium remisisse scribit, quod Tullia morte latari visa. Sed etiam si non negaverimus Ciceroni non admodum bene convenisse cum uxore nova, multo tamen post obitum Tullia cum Cicerone vixisse, ex Epistolis ad Atticum liquet.

§. LXXI.

Cadaver Tullia Sixti IV. Pontificis Romani temporibus in via Appia repertum & Romam delatum scribit Rhodiginus Antiquar. lection. lib. III. cap. XXIV. Adscribam ipsa verba. *Dignum scitu. Cum Pontifex Sixtus ejus nominis quartus Reip. Christiana præsideret, comperitum Romæ in via Appia e regione Ciceronis conditoris muliebri cadaver, quod ex inscriptione conjectatum est, fuisse Tulliola. Id erat aromatibus ita conditum, ut temporis injuriam non sentiret. In eo visebantur capilli aurei impliciti reticulo, summa omnium admiratione, reperiri aliquid, in quod anni mille quingenti fere nil prorsus evaluissent. Ceterum cadaver in urbem delatum tri-
dui mora computruit medicamine amoto aut vitiato. Sed quis credat Tullia cadaver non fuisse crematum?*

§. LXXII.

Tantum! Fuit Tullia. Nos erimus. Sed o nos præ Tullia beatos, quos heic in miseriis recreat melioris vitæ expectatio.



EPI-



EPISTOLA CONSOLATORIA
SVLPICII AD CICE-
RONEM.

SER. SVLPICIVS. M. T. CICERONI S. D.

Postea quam mihi renunciatum est de obitu Tullia^e filia^e tua^e, sane quam pro eo ac debui graviter molestaque tuli, communemque eam calamitatem existimavi, qui si istic affuissem, neque tibi defuissem, coramque meum dolorem tibi declarassem. Etsi genus hoc consolationis miserum atque acerbum est: propterea quia per quos ea fieri debet, propinquos ac familiares, ipsi pari molestia afficiuntur, neque sine lacrimis multis id conari possunt; uti magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quam aliis posse suum officium praestare: tamen, quae in praesentia in mentem mihi venerunt, decrevi brevi ad te perscribere: non, quo ea te fugere existimem; sed quod forsitan dolore impeditus, minus ea perspicias. Quid est, quod tantopere te commoveat tuus dolor intestinus? cogita quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit, ea nobis erepta esse, quae hominibus non minus, quam liberi cara esse debent, patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adjungi potuit? aut, qui non in illis rebus exercitatus animus callere jam debet, atque omnia minoris existimare? At illius vicem, credo, doles? Quoties in eam cogitationem necesse est & tu veneris, & nos saepe incidimus,

mus,

mus, hisce tēporibus non pessime cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magnopere invitare posset? quæ res? quæ spes? quod animi solatium? Ut cum aliquo adolescente primario conjuncta ætatem gereret? Licitum est tibi (credo) pro tua dignitate ex hac juventute generum diligere, cujus fidei liberos tuos te tuto committere putares. An ut ea liberos ex sese pareret, quos cum florentes videret, lætaretur? qui rem a parente traditam per se tenere possent? honores ordinatim petituri essent in rep.? in amicorum negotiis liberalitate sua uti? Quid horum fuit quod non prius, quam datum est, ademptum si? At vero malum est liberos amittere. Malum, nisi hoc pejus sit, hæc sufferre & perpeti. Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit volo tibi commemorare; si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cum ab Ægina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Ægina, ante Megara, dextra Piræus, sinistra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidum cadavera projecta jaceant? Visne tu te, Servi, cohibere & meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modo uno tempore tot viri clarissimi interierunt: de imperio præterea tanta deminutio facta est: omnes provinciæ conquassatæ sunt: in unius mulierculæ animula si jactura facta est tantopere com-

commoveris? quæ si hoc tempore non suum diem obiisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit: quoniam homo nata fuerat. Etiam ab hisce tu rebus animum ad cogitationem tuam avoca: atque ea potius reminiscere, quæ digna tua persona sunt: illam, quam diu fuerit opus ei vixisse, una cum rep. fuisse, te, patrem suum, prætorem, consulem, augurem vidisse, adolescentibus primariis nuptam fuisse, omnibus bonis prope perfunctam esse, cum Resp. occideret, vita excessisse. Quid est quod tu aut illa cum fortuna hoc nomine queri possitis? Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, & eum qui aliis consueveris præcipere & dare consilium: neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potius, quæ aliis tute præcipere soles, ea tute tibi subijce atque apud animum propone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat: Hoc te expectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Quod si qui etiam inferis sensus est, qui illius in te amor fuit, pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere non vult. Da hoc illi mortuæ, da ceteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da patriæ, ut si qua in re opus sit, opera & consilio tuo uti possit. Denique, quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit: noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quam Reip. tempora & aliorum victoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiæ tuæ diffidere. Quare si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidi-
mus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam, magnamque ex ea re te laudem adipisci: fac aliquando intelligamus, adversam quoque te æque ferre
D posse;

posse; neque id majus quam debeat, tibi onus videri: ne ex omnibus virtutibus hæc una tibi videatur deesse. Quod ad me attinet, cum te tranquilliore esse animo cognoro, de iis rebus quæ hic geruntur quemadmodumque se provincia habeat, certiores faciam. Vale.

ARGUMENTVM EPISTOLÆ EX MANVTIO.

Est hæc Sulpicii epistola si non perfectæ, certe admodum diligentis & elaboratæ consolationis exemplum. Nam cum officium consolandi minime deceat eos, qui prorsus dolore vacant; siquidem, qui vere amat, doloris expers in amici casu esse non potest: ut hanc suspicionem tolleret, a molestia sua Sulpicius exordiendum putavit. Rursus, quia consolatio nihil omnino aliud est, quam ægroti animi remedium, a ratione prudentiaque sumtum; quo si caret is, quem consolamur, ratione simul ac prudentia careat necesse est: propterea culpam Sulpicius temeritatis a se voluit avertere, retulitque consolationis suæ causam non ad ullam Ciceronis inscitiam, aut imprudentiam, sed ad dolorem, quo impeditus minus ea perspiceret, quæ patere sibi possent, paulo moderatius dolenti. Hæc quasi proœmii loco proponuntur. Sequitur Narratio, in qua maxime colliguntur exempla calamitatum, ne quis dolori novo relinqui videatur locus. Prima consolandi ratio ducitur a conditione temporum; quæ sunt ejusmodi, ut optanda minime vita videatur: altera ab exilio florentissimarum urbium, quæ perpetuo mansuræ videbantur: tertia ab interitu virorum clarissimorum; qui cum & multi, & uno tempore perierint, una muliercula amissa dolendum multo levius est.

72

est. Accedit imperii diminutio, provinciarum devasta-
tio: quæ ipsa quoque non mediocrem in privata rei ja-
ctura consolationem afferunt. Quid moriendi necessi-
tas? nonne ad levandum sollicitudinem plurimum va-
let? Quid vita jucunde feliciterque traducta? Quid mor-
tis opportunitas appropinquantibus malis? Hæc omnia
commemorat Sulpicius in Tulliaæ morte: mox ad ipsum
Ciceronem orationem convertit. Non debet, inquit, is,
a quo multi consilium petere soliti sunt, committere, ut
eguisse consilio, & ea quæ aliis præceperit, ignorasse vi-
deatur: nec vero clarum sapientia civem expectare de-
cet beneficium temporis, quo dolor exstinguitur, sed a
ratione ac sapientia contra quælibet fortunæ tela præsi-
dium petere. Adduntur preces. Si hoc a te ratio ipsa
non impetrat, certe non negabis patriæ roganti, non a-
micis & familiaribus, non filiaæ mortuæ, quæ carissimum
sibi patrem mœrore angere non vult. Incommoda pro-
ponuntur. Vide ne tuo luctu offendantur ii, qui rerum
potiuntur, interpretantes doloris tibi causam esse do-
minationem suam. Postremo, ne tuam gloriam con-
temnas, quæ ex multis collecta virtutibus, addita fortitu-
dinis & constantia fama cumulabitur.

Scripta est Cæsare Cos. IV. sine collega, devictis jam
in Hispania Pompeji liberis: quod ex duabus ad Atticum
epistolis, XIX. & XXI. lib. XII. licet conjicere; quod illa
fere postrema hujus epistolæ verba declarant: *Noli com-
mittere, ut quisquam te putet, non tam filiam, quam Reip.
tempora, & aliorum victoriam lugere.* Id confirmatur e-
pistola XXI. lib. XII. ad Attic. cujus initium est: *A Cæsa-
re literas accepi consolatorias, datas Hispali.* Nam Hispa-
lim Cæsar ivit post interfectum Cn. Pompejum, Magni fi-
lium, ut in libro de bello Hispaniensi scriptum est.

OBSERVATIONES.

Posteaquam mihi renunciatum est. *Renunciandi* verbum in re simili reperio apud Senecam libro de Consolatione, ad Marciam cap. XIV. *Bibulus, qui toto honoris sui anno ob invidiam Collegæ domi latuerat, postero die quam geminum funus renunciatum, processit ad solita in publicum officia.*

Sane quam. Pro *Valde* dixit Sulpicius. Sic Cælius lib. VIII. Epist. II. Sane quam *litteris C. Cassii & Deiotari sumus commoti.* item Epist. VI. *Non dubito, quin perlatum ad te sit, Appium a Dolabella reum factum: sane quam non ea, qua existimarem invidia.* Et ipse Cicero ad Q. Fratrem: *Nam quod de Pomponio Caninius ait, sane quam refrixit.* Et Brutus ad Ciceronem: *Sane quam gavisus sum.* De conjunctione harum particularum vide Laurentium Vallam *Elegantiarum Latini Sermonis* lib. I. cap. XVII. Vt autem *Sane quam*, ita & *Oppido quam* dici, indicat hoc Vitruvii lib. VIII. c. III. *Foniculus oppido quam parvulus.*

Pro eo, ac debui, graviter molesteque tuli. Amici est officium dolere amicorum casum. Mœrente amico, quis lætari posset amicorum? Particularum juncturam habes in ipso Tullio. Suffecerit hoc unicum ex IV. *Catilin. Primum deo sperare, Deos omnes, qui huic urbi præsident, pro eo mihi, ac mereor, relatueros esse gratiam.*

Communemque eam calamitatem existimavi. Communis certe est calamitas, si Vir magnus variis jactatur infortunii procellis, ac ob id gravem contrahit mœrorem, qui impedimento est, quo minus vel Ecclesiæ, vel Reipubl. operam præstare possit adjutabilem. Qui ergo valeant boni cives gaudere magistratu in luctu posito? qui haberent lætari oves morigeræ, Pastoribus Ecclesiæ in squalore jacentibus? Impius foret filius, qui rideret patre lacrumante. Degener discipulus, qui cachinnos ederet flente Præceptore.

Neque tibi defuissem. Amicus nunquam deest amico: certe si aliter nequit, consilio opem fert: &, vel voto,
aut

aut solatio juvat. Hæc in Terentii Heavtontimorumeno
conjunguntur, in qua ad Menedemum Chremes:

Istuc, quicquid est, fac me, ut sciam.

Ne retice, ne verere, crede inquam mibi:

Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.

Coramque meum dolorem tibi declarassem. Gra-
tum plerumque est amicis, si in luctu & squalore positi a-
micorum colloquiis commode detur frui. Verum quia mire
variant ingenia, ut intimos amici animi recessus explores,
neceffe est. Si brevi gaudet sermone, noli ambages quære-
re; sed eo fortioribus utere remediis: quod si amicus tua
eloquentia delectetur, disertius expone solatia. Si fugit ho-
minum conspectum, per literas tenta. Si manifesta remedia
averfari intellexeris, rem per cuniculos aggredere, & globu-
lis mellitis incrusta medicamen. Ante omnia autem ipse,
dolentis indue animum, ac puta in eadem te navi esse. Sic &
literis & sermoni majus erit robur. Præeuntem habes Sul-
piciam, quem pro re nata sequere.

Etsi genus hoc consolationis miserum atque acer-
bum est. Ipse Tullius eleganti epistola consolatoria ad Ti-
tium lib. V. XVI. *Etsi unus ex omnibus minime sum ad te consolan-
dum accommodatus; quod tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut
consolatione ipse egerem.* Et eod. libro Ep. XVIII. *Etsi egomet,
qui te consolari cupio, consolandus ipse sum, quod nullam rem gra-
vius jam diu tuli, quam incommodum tuum.* Hieronymus ad
Paulam de obitu Blefillæ filia: *Non est optimus consolator, quem
proprii vincunt gemitus, cujus visceribus emollitis fracta in lacrymis
verba desudant.*

Propterea quia. Ciceroni, Terentio, Plauto usitatus
est, *Propterea quod.* Sic ideo quod, Ideo quia, Veteres dicebant:
quæ observatio est Manutii.

Propinquos ac familiares. *Propinqui* fere dicuntur,
inter quos aliqua sanguinis conjunctio est. *Familiaris* notat
amicum nobiscum versantem & diuturna consuetudine ad-
strictum: quasi qui in eadem sit familia.

Pari molestia afficiuntur. Manutius reprehendit Sulpicium, putatque rectius locutum, si dixisset, *Simili*. Nam si par esset, inquit, *afflictus afflictum consolari non posset.*

Neque sine lacrumis multis id conari queunt. Non defunt qui nequaquam, sunt qui difficulter lacrumantur. Inter illos erat Phocion Atheniensis, quem nemo neque ridentem vidit, neque lacrumantem; ut auctor est Plutarchus. Qui ad lacrumas proni, horum indoles vulgo habetur bona. Juvenalis non ineleganter fat. XV. v. 131.

Mollissima corda

Humano generi dare se natura fatetur,

Que lacrumas dedit: hac nostri pars optima sensus.

Proverbium est apud Zenobium cent. I. XIV. *Ἄγαθὸν δ' ἀκούειν ἀνδρῶν ἀνδρῶν.* Juvat ea de re audire oppido eruditum scriptorem, Scipionem Claramontium, libro, qui inscribitur: *Ἠθικὴ ἡθικὴ moralis, seu de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus*: cujus nova editio debetur incomparabili Viro, Hermanno Conringio. Ita autem ille lib. VI. cap. IX. *Oculi sicci durum hominis animum significant, crudelem & ferum: contraria enim humiditas affectus emollientes animum indicat.* Quod si igitur amicum graviter lugentem cum lacrumis consoleres, næ pondus addes consolationi tuæ. Sic enim judicabit ille ex intimo cordis recessu fluere solatium. Nec tamen hic largo semper imbri opus est. Ad pompam vero lacrumari, quod mulieribus pro loci genio non insolens, scenica est levitas. Præclare Seneca Epist. XCIX. *Non est, quod lacrumas propter circumstantes assidentesque aut contineas, aut exprimas: nec cessant, nec fluunt unquam tam surpiter, quam finguntur. Eant sua sponte: ire autem possunt placidis atque compositis.*

Vt magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere. Difficulter consolantur, indigi solatio: majus tamen eo ipso suis consolationibus addunt robur.

Decrevi brevi ad te perscribere. *Brevi*, modo rei, modo temporis brevitatem demonstrat: hic rei. **Adi Manutium.**

Non

34

Non quod ea te fugere existimet. Elegans orationis moratae specimen, quod propterea affert, ne prudentiae laudem, Ciceroni ademptam sibi videatur tribuere.

Sed quod forsitan dolore impeditus, minus ea perspicias. Nimius dolor plerumque occaecat etiam sapientissimorum animos. Hi enim in adversis rebus adeo franguntur sapius, ut in nullam prorsus spem se valeant erigere. Huc referas illa Terentii Heavtontim. III. L.

--- *Dii vostram fidem!*

*Itari' comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena melius ut videant, & judicent,
Quam sua? an eo fit, quia in re nostra aut gaudio
Sumus praepediti nimio, aut egritudine?*

Sic Cicero lib. V. epist. V. *Quia fieri potest, ut tu ea perturbatione animo cogites; puto esse meum, quid sentiam, exponere.*

Cogita, quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit. Si is, quem solamur, non minora jamtum perpeffum novimus, quid ni ad ea ipsum revocemus? Turpe enim esset, viro in primis sapienti magna infortunia aequo ferre animo: in minori fortuna eundem despondere.

Tuus dolor intestinus. *Intestinus* idem qui *internus*. Sic apud Ciceronem passim reperies *mala, bella, intestina*. Frequens in hoc epitheto Arnobius Afer.

Ea nobis erepta esse. Cum enim ea, quae antea bonis & fortibus viris Resp. deferebat, ad unius potestatem translata cuncta sint, erepta nobis videntur esse: quandoquidem non jam amplius a nostra virtute & industria expectantur. Manutius.

Honestatem. Honestas definiri potest honesti & recti species quaedam collecta ex iis rebus, quae laudem habent singulae. Manut.

Dignitatem, Existimationem, ortam ex honoribus praclare administratis.

Qui non in illis rebus exercitatus animus callere jam debet. Quasi callo ex consuetudine facto sic obduruisse, ut

ut novum dolorem jam non sentiat. *Callus, & Callum* proprie est durities ea quæ eundo in *calce* pedis, vel quæ *calcando* contrahitur in pedibus. Propria hac significatione usus Cicero in *Tusc. Quæst.* ex epist. ad Hannonem: *Mibi amictus est Scythicum tegmen; calceamentum, solorum callum: ubi solum plantam pedis notat.* Quo de plura dicemus libro singulari *de Calceis Veterum.* A corpore porro ad animam transfertur: Cic. I. IX. Ep. II. *Diuturna consuetudo callum jam obduxit stomacho meo.* Seneca de *Consolat.* ad Marciam cap. XIII. *Manet quidem tibi, Marcia, etiamnum ingens tristitia, & jam videtur duxisse callum.* Seneca de *Providentia* cap. II. *Non fert ullum ictum illa felicitas, at ubi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per injurias ducit.* Eodem modo verbum *Callere*, quod prima significatione est *callum contrahere*, per translationem significat, ad dolores & calamitates ita obdurescere, ut iis non amplius fere moveamur. Proprie Plautus in *Pseudolo*: *Plagis costa callent.* Hinc sunt composita *Concalleo & Occalleo*, quæ apud Ciceronem, reperiuntur in *Epistolis ad Atticum.* lib. IV. ep. XVI. *Locus ille animi nostri, stomachus, ubi habitabat olim, concalluit.* lib. II. Ep. XIIII. *De Statio manumisso, & nonnullis aliis rebus, angor quidem, sed jam prorsus occallui.*

Animus exercitatus. Nihil tam durum est & grave, quod non leve fiat exercitato animo. Nullum malum tam difficile, quod non ferat mens variis miseriis exercita.

Atque omnia minoris existimare. Magnus animus terrenis non adhæret fecibus, sed hujus universi omnia nihili æstimat. Vitæ ipsi non timet: qui timeat honoribus, aliisque bonis caducis? Rideant alii, irrideant, cachinentur, tumultuentur, triumphent. Inter hos triumphos, inter hos tumultus, in his cacchinnis vir servat mentem, mentem imperterritam, frontem exporrectam.

At illius vicem, credo, doles. Alii pro *at* particulam probant dubitandi, *an*: ut sensus sit: *an doles id, quod illi contigit?* In verbo *credo* ironia quædam latere videtur: nec abest indignationis quædam vis, cum hæc duo conjunguntur,

31
tur, *an credo.* Consule Manutium. Sic etiam loquitur Lucretius libro V.

*An, credo, in tenebris vita & mœrore jacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo.*

Quoties in eam cogitationem necesse est & tu veneris, & nos sæpe incidimus. Apparet modestia Sulpicii, qui Ciceroni plus, quam ipse sibi tribuit. Nam in *Veneris*, ratio est, in *Incidetis* casus. Necesse, inquit, est, pro tua prudentia, in eam cogitationem sæpe veneris, in quam nos quoque sæpe incidimus. Eleganter utroque verbo usus est Seneca, *Consolation. ad Polybium cap. XXII.* *Quantum erat, tibi ab hac injuria prestare hunc hominem, in quem videbatur indulgentia tua ratione certa pervenisse, & non tuo more temere incidisse.*

Non pessime cum iis esse actum. Tangit Sulpicius sua tempora, in quibus summa rerum erat penes Cæsarem. Si integrum id fuit homini ethnico dicere, quanto magis fuerit Christiano. Profecto cum iis bene agitur, qui ex hac sentina mundi erepti ad vitam supra quam dici, quam mens potest capere, jucundam, omnibusque veris bonis affluentem transferuntur.

Quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare. Exstinctos naturali morte significat: cum dolore enim moriuntur, quibus vita per vim eripitur. *Manutius.* Idem notandum monet loquendi genus Ciceroni non usitatum, *Mortem cum vita commutare.* Convenit autem Sulpicii sententia ferme cum ista Ciceronis lib. V. ep. XVIII. *Ea denique videtur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optime actum cum eo videatur esse, qui quam levissima pœna ab hac Rep. discesserit.*

Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magnopere invitare posset? Ita verius nos Christiani, quos crux perpetua exercet, & quibus, Deo ita volente, aliud ex alio malum nascitur, habemus affirmare, *nihil esse in hac vita, quod nos ad diu vivendum invitare possit.* Nos enim in his terris

E

fince-

sincerum gaudium novimus nullum, nisi quod in CHRISTO
 quæritur. Id autem longe solidius, longe jucundius, longe
 præstantius in altera, quæ demum vera vita meretur appella-
 ri, reperiemus. Heic sunt res fragiles, vana & caduca omnia.
 Heic sunt spes fallaces; heic rara sunt solatia, aut ad animum
 se intimius non penetrantia, vel subito evanida. Si quis in
 conjugio solatium quærat; bone DEUS! quot amara raris
 conjugii gaudiis sunt immixta. Nec minora tamen habet
 mala lectus viduus, & vita caelebs. Vel illa liberorum educa-
 tio quot quantisque difficultatibus & molestiis est obnoxia!
 Et si probos Deus nobis facit educere liberos, nonne sapius in
 medio ætatis flore diem obire videmus? Si altius quandoq;
 nostros deprehendimus evolare, nonne id cum infinitis fit
 Parentum curis? Si ambiunt, aut impetrant honores, mox in-
 vidia, calumniæ, aliæque honorum pedissequæ exsurgunt.
 Dum nolunt obsequi malorum omnia miscentium libidini;
 nec ea probare, quæ ad privatam unius atque alterius spe-
 ctant commodum, a publico autem emolumento longe sunt
 remota; aut plane nequeunt emergere, aut cum istorum
 malitia perpetuo ut conflictentur, necessitas exigit. Eadem
 ratio est in aliis, quæ inter bona vulgo numerantur. Quam
 fragilis, est principum virorum gratia. Aula plerumque
 nulli magis, quam veritati inimica est. Calumniam in ea
 regnare, perpetua est bonorum virorum querela. De divi-
 tiis quid dicam? Nonne cum infinitis curis parantur, cum
 incredibili sollicitudine custodiuntur? Atque illarum cupi-
 ditas quia plerumque in immensum crescit, non sufficit sa-
 tiando hominis opulenti animo. Quæ cum ita se habeant,
 nos qui CHRISTO nomen ex vero dedimus, relinquemus ista
 omnia, DEUM precati, ut nos quamprimum exsolvat hujus
 vitæ pedicis, & in dulcissimam, quæ nos in cælis manet, liber-
 tatem quamprimum asserat. Euge! euge! Evolemus! evo-
 lemus! Nihil est, quod nos ad diutius vivendum invitare
 possit. Neque tamen hæc eo dicta existimari velim, ac si pro-
 brem illorum desideria, qui ex mollitie animi vita excedere
 præ-

35

præoptant. Sancta sunt Christianorum vota & nihil nisi sanctam Patris cœlestis voluntatem spirantia : ut etiam, si Deus ita velit, velint & ipsi in statione permanere, & varias molestias, calumnias, diras, devorare : donec cœlestis Imperator, quando ipsi visum est, ex his miseriis ad æterna gaudia eos evocet.

Quos cum florentes videret, lætaretur. Non major parentum voluptas, quam quæ est ex florentibus bonorum liberorum rebus. Contra, non gravior parentum dolor, quam ex proliis malæ dictis, factis, fortuna.

Rem a Parente traditam per se tenere possent. Suo studio, suaque industria; sine alterius ope. Sic in Catoe Maj. *Homo per se cognitus, nulla commendatione majorum.* Et pro Sylla : *Nihil audacter ipsos per se, sine P. Sylla facere potuisse.*

Honores ordinatim petituri essent in Republ. Honorum hic erat ordo : Quæstura, Tribunatus, Ædilitas, Prætura, Consulatus, Censura. Inter Quæsturam & Tribunatum, itemque inter Tribunatum & Ædilitatem annum, erat intervallum : Ædilitatem interposito biennio Prætura; Præturam eodem interjecto spatio Consulatus sequebatur. Censuræ post Consulatum definitus annus non erat. *Manutius.*

In amicorum negociis liberalitate sua uterentur. Alii *libertate* : sed magis placet alterum. Hac enim voce non largitio tantum, sed officium quodlibet omnisque benignitas indicatur.

Quid horum fuit, quod non prius, quam datum, ademptum sit? Etiam si hæc de bellorum civilium, quæ tunc erant, miseriis dicere existimandus est Sulpicius; nihil tamen vetat, quo minus ad lubricam & instabilem rerum humanarum omnium fortunam referamus. Hanc quia homines a cœlo alieni in animum demisere, quidni nos Christiani, qui altiora sapimus (sapere certe debemus) nullo non tempore cogitemus? Præclare Seneca, *Consolat. ad Polyb. cap. xxviii. Omnia ista bona, quæ nos speciosa, sed fallaci voluptate de-*

lectant, pecunia, dignitas, aliaque complura, ad quae generis humani caeca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum invidia conspiciuntur: eosque ipsos exornant, & premunt, plus minantur, quam profunt. Lubrica & incerta sunt, nunquam bene tenentur: nam ut nihil de tempore futuro timeatur, ipsa tamen magna felicitatis tutela est. Nec minus est insignis locus ejusdem scriptoris Consolat. ad Marciam cap. x. Quicquid est hoc, quod circa nos ex adventitio fulget: liberi, honores, opes, ampla atria, & exclusorum clientum turba referta vestibula, clara, nobilis, aut formosa conjux, ceteraque ex incerta & mobili sorte pendentia: alieni commodatique apparatus sunt, nihil horum dono datur collaticiiis, & ad dominos redituris instrumentis scena adornatur. Alia ex his primo die, alia secundo referentur: pauca usque ad finem perseverabunt.

At vero malum est, liberos amittere. Artis est, ex adversarii persona nobis objicere, quod ejus tueri causam videatur, nec tamen ad tuendum satis valeat. Adhibetur hoc genus, ubicunque disputatur: in orationibus quidem frequentissime, in epistolis nonnunquam. Ἀντιπαράθεσις Graecis vocatur haec figura, Latinis *Compensatio*. Aquila Rhetor libello de Nominibus figurarum & exemplis sic describit: Est hujusmodi figura, ubi aliquid difficile & contrarium confitendum est, sed contra injicitur non minus firmum. Qualia sunt haec de Rege Ptolemaeo apud Ciceronem: Difficilis ratio belli gerendi: at plena fidei, plena pietatis. Et si dicas: Magnus labor, multa pericula opponuntur: at gloria ex his immortalis est consecuta. Eleganter in re gemina simili figura pugnat Seneca ad Marciam cap. XXVII. Grave est tamen, quem educaveris juvenem, jam matri, jam patri praesidium ac decus amittere. Quis negat grave esse? Sed humanum est. Ad hoc genita es, ut perderes, ut perires, ut sperares, metueres alios, teque inquietares, mortem & timeres, & optares, & quod est pessimum, nunquam scires, cujus esses status. Huc etiam refero illud ex eadem Consolatione cap. VII. At enim naturale desiderium suorum est. Quis negat quamdiu modicum est? Et post pauca: Plus est, quod opinio adjicit, quam quod natura impetra-

perimvit. Sulpicii objectionem ex mente Ciceronis factam, illa etiam Senecæ illustrabunt ad Helviam matrem Consolat. cap. xv. *Ego complexu filii carissimi careo, non conspectu ejus, non sermone fruor. Vbi est ille, quo viso tristem vultum relaxat, in quo sollicitudines meas deposui? ubi colloquia, quorum inexplebilis eram? ubi studia, quibus libentius quam femina; familiarius quam mater intereram? ubi ille occursum, ubi matre visa semper puerilis hilaritas?* Omitto reliqua.

Ex Asia rediens. Non quæ tertia orbis terrarum pars est, sed ea, in qua Attalus regnaverat, quam ab eo legatam possedit postea populus Romanus.

Cum ab Ægina Megaram versus navigarem. Ægina inter Cyclades insula nobilissima, inter Atticam & Megaridem sita, virtute & navali copia olim celeberrima, ab Ægina Æaci matre nominata, cum Oenopia vocaretur antea. Hodie Engia nomen habet. *Megara*, urbs inter Peloponnesum, Atticam & Bæotiam ad sinus Saronici angulum extremum. Claros habuit cives Theognidem, Euclidem, Stilponem & alios.

Cœpi regiones circumcirca prospicere. Plautus Aulular. de gallo gallinaceo: *Capit ibi sculpturire unguis circumcirca.*

Dextra Piræus. Piræum, Piræeum, Piræus, Piræeus, & Piræa ac Piræea in numero multitudinis. Sic enim apud Ovidium, Statium, & ipsam Ciceronem reperitur. Vide lib. VII. ad Attic. ep. III. Athenarum portus fuit, quadringerarum navium capax. In hac juvenus Attica noctu vigilabat, & urbem ut tuta esset a prædonibus, custodiebat. Oppidum quoque fuit ejusdem nominis, quod L. Sulla, præfecto Mithridatis Regis Archelao defendente oppugnavit. Vide Gellium lib. XV. cap. I.

Sinistra Corinthus. Achajæ urbs quondam opulentissima, sita inter duo maria: atque adeo amplis mercimoniis, splendidis ædificiis, incredibili luxu, & artibus meretriciis nobilis & famosa. L. Mummius anno V. ICXVI. evertit.

E3 Ho



Hodie cum reliqua Græcia sub Turcorum gemitu dominatu.

Quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt. Nota Sulpicium urbes nobilissimas vocare *Oppida*. Ut de significatione, sic de etymo hujus vocis litigant Grammatici. Nos unico contenti erimus Servio in lib. IX. *Æneid.* *Oppidum quidam a vico castelloque magnitudine secernunt. Alii locum muro fossave, aliave qua munitione occlusum. Alii locum edificii constitutum, ubi fanum, comitium, forum & murus sit. Alii oppidum dici ab oppositione murorum, vel quod hominibus locus esset oppletus, vel quod opes illo munitionis gratia congestæ sunt.*

Nunc prostrata & diruta ante oculos jacent. Corinthi quidem vix relictum vestigium, ait Cicero Agraria II. postea restitutam a Cæsare Strabo narrat libro ultimo. Hæc igitur est fortuna urbium. Surgit una, cadit altera. Quæ quondam erat florentissima, marcescere incipit, & mox corruiere. Alia, cujus fortuna videbatur desperata, repente crescit, & ad summum exurgit florem. Profecto, si qua in re instabilem deprehendimus sortem, hæc varia urbium fortuna id nos perdocet. Audiamus Senecam *Consolat. ad Polyb.* *Nihil perpetuum, pauca diuturna sunt, aliud alio modo fragile est, rerum exitus variantur. Ceterum quicquid cæpit, & desinet. Mundo quidam minantur interitum, & hoc universum, quod omnia divina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit, & in confusionem veterem, & tenebras demerget. Est modo aliquis, & singulas compleret animas Carthaginis ac Numantie, Corinthique cinerem, & si quid altius cecidit, lamentetur. Et ad Marciam cap. X. Computa urbium secula, videbis, quam non diu steterint, etiam qua vetustate gloriantur. Epistola XCI. ubi de Lugdunensi incendio agit, dedita opera id argumentum tractat. Quædam excerpemus. Quicquid longa series, multis laboribus, multa Deum indulgentia struxit, id unus dies spargit ac dissipat. Nihil privatim, nihil publice stabile est: tam hominum, quam urbium, fatavolvuntur. Quoties Asia, quoties Achaïe urbes uno tremore ceciderunt? quot oppida in Syria? quot in Macedonia devorata sunt? Cyprum quoties vastavit hæc clades? quoties in se Paphus corruit? Frequenter nobis nuntiati sunt tota-*

*rum urbium interitus: & nos, inter quos frequenter ista nuntian-
tur, quota pars omnium sumus? Consurgamus itaque adversus for-
tuita: & quicquid inciderit, sciamus non esse tam magnum, quam ru-
more jaçtetur. Omnium istarum civitatum, quas nunc magnificas
ac nobiles audis, vestigia quoque tempus eradet. Non vides quem-
admodum in Achaja clarissimarum urbium jam fundamenta con-
sumta sint, nec quidquam exstet, ex quo appareat, illas saltem fuisse?
Eleganter Rutilius Numatianus lib. I. Itinerarii, v. 413.*

Non indignemur mortalia corpora solvi,

Cernimus exemplis oppida posse mori.

Et e Christianis Paulinus, Exhortat. ad Conjugem:

Non idem status est agris, non urbibus ullis,

Omniaque in finem precipitata ruunt.

Concludam hunc locum versibus Juvenci, Poetæ Christiani
qui habentur in Prologo Historiæ Evangelicæ:

Immortale nihil mundi compage tenetur,

Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,

Non mare, non tellus, non ignea sidera cæli.

Hæc scripseram, cum in Ambrosii Epistolas inciderem, qua-
rum VIII. lib. II. hujus Sulpiciani solatii insignem habet imi-
tationem. Consolatur autem iis literis Faustinum, obitum
germanæ acerbius ferentem. *Sed doles, inquit, quod dudum
florentissima repente occiderit. Verum hoc nobis commune, non
solum cum hominibus, sed etiam cum civitatibus terrisque ipsis est.
Nempe de Bononiensi veniens urbe a tergo Claternam, ipsam Bono-
niam, Mutinam, Regium derelinquebas: in dextera erat Brixillum,
a fronte occurrebat Placentia, veterem nobilitatem ipso adhuc nomi-
ne sonans: ad levam Apennini inculta miseratus, & florentissimo-
rum quondam populorum castella considerabas, atque affectu relege-
bas dolenti. Tot igitur semirutarum urbium cadavera terrarum
que sub eodem conspectu exposita funera non te admonent, unius san-
ctæ licet & admirabilis fœminæ decessionem consolabiliorem haben-
dam, præsertim cum illa in perpetuum prostrata ac diruta sint.* Ur-
get etiam hoc argumentum Hieronymus in Epitaphio Ne-
potiani ac Heliodorum.

Tot oppidorum cadavera. Putant quidam nimis du-

du-

duram esse hanc metaphoram, qua Cicero non facile fuisset usus. At sicut corpus, a quo decessit anima, cadaver dicitur, cur non oppidorum rudera sua forma, quæ privata sunt, hoc nomine appellemus? Alia translatione de homine pessimo accipit Cicero in Pisonem: *Ego istius pecudis, ac puidæ carnis consilio scilicet, aut presidio niti volebam? ab hoc ejecto cadavere quicquam mihi aut opis, aut ornamenti expectabam?* Cadaver a cadendo nomen habet: ut est apud Servium ad lib. VI. Æneid. & Isidorum lib. XI. cap. XI. Sic Hieronymus in cap. XXIV, Matthæi: *Possumus autem corpus, id est, σώμα, quod significantius latine Cadaver, ab eo, quod per mortem cadat, Christi passionem intelligere.* Suaviter nugantur, qui conflatum philosophantur ex tribus vocibus: *caro data vermibus.*

Visne tute cohibere. Insuavior videtur sermo propter crebram repetitionem secundæ vocalis. Adscribam observationem Manutii. *Vel cohibere, in timore mortis, nec vitam hanc magis, quam deceat, diligere; cum oppida quoque eundem cum hominibus interitum expectent: vel cohibere pro Colligere, quod est accurata cogitatione rationem perpendere ut: ep. IX. lib. I. Collegi ipse me, & cum ipsa quasi Rep. sum collocutus.*

Et meminisse, hominem te esse natum. Atque adeo morti obnoxium. Hinc infra: *Paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo natus fuerat.* Cicero l. V. ep. XVI. *Est autem consolatio pervulgata quidem illa maxime, quam semper in ore atque animo habere debemus; homines ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus fortuna telis proposita sit vita nostra; neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, conditione vivamus; neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus; eventisque aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis novum cogitemus.* Innumera sunt dicta in hunc sensum ab aliis veteribus scriptoribus dicta. Nos feligemus quædam ex nostro Seneca: *Quæ demum istæ tuæ publicæque conditionis oblivio est? mortalis nata es, mortales peperisti.* Confolat ad Marciam cap. XI. *Maximum solatium est cogitare, id sibi accidisse, quod ante se passi sunt omnes, omnesque*

que passuri. Et ideo mihi videtur rerum natura, quod gravissimum fecit, commune fecisse, ut crudelitatem fati consolaretur equalitas. Consolat. ad Polyb. cap. XXI. De se ipso, quod Annæum Senecam, carissimum sibi tam immodice fleverit, ut se inter exempla eorum referat, quos dolor vicerit, inter alia sic scribit Epist. LXIV. Hoc unum mihi occurrebat, minorem esse, & multo minorem, tanquam ordinem fata servarent. Itaque assidue cogitemus tam de nostris, quam omnium, quos diligimus, mortalitate. Epist. LXXVIII. Quid fles? quid optas? perdis operam.

Desine fata Deum flecti sperare precando.

rata & fixa sunt, atque magna atque eterna necessitate ducuntur. eo ibis, quo omnia eunt. Quid tibi novum? ad hanc legem natus es. Hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Postrema recte se habent: priora Stoam sapiunt. Idem Epist. XCIX. Iniquum est, queri de eo, quod uni accidit, & omnibus restat. Libello de Consolatione ad Marciam cap. xxx. tangit Anaxagoræ vocem, qui nunciata filii morte dixit: Sciebam me genuisse mortalem. Verba Senecæ hæc sunt: Quanto ille justior, qui nunciata filii morte dignam magno viro vocem emisit: Ego cum genui, tum moriturum scivi. Prorsus non mireris ex hoc natum esse, qui fortiter mori posset, non accepit tamquam novum nuncium filii mortem. Quid enim est novi, hominem mori, cujus tota vita nihil aliud, quam ad mortem iter est? Ego cum genui, tum moriturum scivi. Deinde adjecit rem majoris & prudentia & animi: huic rei sustuli. Omnes huic rei tollimur: quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur. Vide de hac Anaxagoræ voce Ciceronem lib. III. Tuscul. Quest. Diogenem Laert. in vita Anaxagoræ. Plutarchum de consolat. ad Apoll. Ælianum lib. III. Hist. Var. cap. II. Valerium Maximum lib. V. cap. X. Tangit etiam Trebellius Pollio in Gallieno: Gallienus ubi de Valeriano Patre comperit, quod captus esset, id quod Philosophorum optimus de filio amisso dixisse fertur: Sciebam me genuisse mortalem. Obfignabo hunc locum verbis Ambrosii ex Orat. in obitum Valentiniani: Nihil habetis, quod gravissime doleatis in fratre. Homo natus est, humana fuit obnoxius fragilitati.

F

Hoc

Hoc idem si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Prudentiæ Sulpicianæ argumentum, quod non jubeat Ciceronem considerare ea, quæ proponit, sed relinquat ejus voluntati. Hoc enim vult illud: *Si tibi videtur*. Et illud notaverim, quod non simpliciter dicat; *Propone tibi ante oculos*; sed cum imperandi modo optativam flexionem conjungat: *Fac ante oculos tibi proponas*.

Modo uno tempore tot viri clarissimi interierunt. Emphasin habent singula. Omitto, inquit, vetera, modo interitum vidisti & virorum, & clarissimorum, & multorum, & uno tempore. Cur angeris ob amissam unius mulierculæ animulam, cui tamen communi naturæ lege moriendum aliquando fuit? *Manutius*. Vis argumenti est in eo, ut ostendat Ciceroni longe jam majora subiisse mala, atque adeo decere ipsam istam in Tullia jacturam ceteris multo leviolem eo æquiori animo ferre. Idem suis proponit Æneas lib. I. Æneid.

*O socii, neque enim ignari sumus ante malorum.
O passi gravium, dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scylleam mbiem, penitusque sonanteis
Accestit scopulos. Vos & Cyclopea saxa
Experti, revocate animos, mæstumque timorem
Mittite, forsan & hæc olim meminisse juvabit.*

De imperio tanta diminutio facta est. Non, quod ab Imperio Romano gentes defecerint, sed quod civili bello & vectigalium fructus & majestas ac vires etiam populi Romani cæsis tot hominum millibus imminutæ sint. *Manutius*.

Omnes provinciæ conquassatæ sunt. Impetu belli labefactatæ, incommodis & calamitatibus affectæ. Verbum est significans, atque adeo cum gravitate quadam pronuncian- dum. Cic. pro Sextio: *Etiã exterâs nationes illius anni furore conquassatas videbamus*. lib. I. de Divinat. *Apulia maximis terra motibus conquassata est*. Provinciâs conquassatas hoc ordine recenset *Manutius*: Italia, cum Cæsar Pompejum ejecit: Hispania, cum Pompeji legatos & exercitum in suam potestatem redegit: Græcia, cum ipsum Pompejum devicit: Ægyptus, unde victoriam non

non sine vitæ periculo reportavit : Asia propter Pharnacem, Mithridatis Regis filium, quem Cæsar, Alexandria revertens, nullo negotio superavit : Africa, in qua Scipionem, & Jubam Regem vicit : Hispaniam rursus, in qua hoc tempore Cæsar Cos. IV. adversus Pompeji liberos bellum gerebat.

In unius mulierculæ animula si jactura facta est. Eleganter de minutis nominibus jacturam leviolem ostendit. Habent enim illa etiam locum, cum aliquid extenuare volumus. Adi Buchnerum eleganti libro *de commutata ratione dicendi part. I. cap. VII.* Sic antea : *Hem nos homunculi indignamur.* Magnum inter consolatoria pondus habet, quando mœrenti demonstra- mus, ea quæ luget, tanti nequaquam esse, cur adeo se maceret. Dolenti igitur invidiam, demonstra leve id esse, cum præsertim livor nihil, aut parum noceat, imo virtutis illustre documen- tum sit. Lugenti ob calumnias & mendacia, horum vanitatem propone, & quam cito illa, ut nix a sole, diffuant. Fac cogitet, maledicta streperum esse ventorum flatum, innocentem boum mugitum, inanem canum latratum, garrulas muliercularum vo- ces, pueriles fabulas, & si quid his est vilius. Qui Principum, aut Mæcenatum gratia excidit, ei favores hominum quavis plu- ma leviores, quovis vento mobiliore ostende. Qui jacturam rei familiaris & divitiarum luget, in memoriam revoca, aurum esse particulam terræ rubræ, argentum albæ, immerito in tanto precio habitæ. Qui ob *axapstian* mundi in squalore est, e- um doce, quod inepte fecerit, gratiam sperando ab iis, in quibus gratiæ nulla sit mica : neminem porro ob id puniri, quod in- gratus sit, frustra que de eo quemquam queri, a quo pœnas su- mere non possit. Et ut ad mortes deveniam : Si infans est, o- stende nondum aliquid fecisse laude dignum, sua immunditiæ matri sæpius nauseam creasse, utriusque Parentis aures plorati- bus oplevisse. Si puer, affer puerilem nequitiam, multa que dicta facta que inania : imo, si bonæ indolis puer fuit, spes hominum fallaces urge, & quomodo optima plerumque inge- nia corrumpantur sodalitio. Habebis in adolescentibus & ju- venibus multa, quæ notes, non pauca, quæ minuas. Si in ipso

ætatis flore vir occiderit, ostende plures superare, qui ejus locum occupent. Quædam laude digna, multa commerita reprehensionem, subindica. Quod si quis senis abitum doleat, mundo non amplius multo usui fuisse proba. Si mulier est, mulierem fuisse declara, id est, muliebria plerumque sapientem. Verum caute & consideratis omnibus & singulis circumstantiis hæc usurpanda sunt; ne vel oleum camino addas; vel, dum consolari instituis lugentem, ridiculum mimum agas. Species foret stultitiæ, uxorem probam optimi conjugis excessum graviter ferentem eo erigere, quod affatim virorum sit sub sole. Eiusdem esset farina, matronam filium frugi lugentem liberorum nequitia erigere. Nullum autem solatii genus fortius Christiano homini, quam si jacturam suorum gravissime dolenti probe considerandam proponamus divinam voluntatem, paternumque Dei Opt. Max. affectum. In hac consideratione piis omnibus acquiescendum est. Hoc solatium omnia alia superat.

Paucis post annis tamen ei moriendum fuit. De inevitabili necessitate moriendi pleni sunt omnes veterum libri. Vnicum tantum adscribemus, eundemque elegantissimum Hieronymi locum ex Epitaphio Nepotiani: *Debemus & nos animo premeditari, quod aliquando futuri sumus, & quod velimus, nolimus, abesse longius non potest. Nam si nongentos vite excederemus annos, ut ante diluvium vivebat humanum genus, & Matusalem nobis tempora donarentur: tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desisset. Etenim inter eum qui decem, vixit annos, & eum qui mille, postquam idem vite finis advenerit, & irreversibilis mortis necessitas, transactum omne tantundem est, nisi quod senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur.*

Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem avoca. Multis in eo est Manutius, ut pro copulativa *Ac*, præpositivam *Ad* commendet: in quo etsi non plane assenserim, non tamen abs re fuerit, paraphrasin ejus audire. *Fac, inquit Sulpicius, quod ego feci; qui cum oppida quondam florentissima, prostrata ac diruta vidissem, inde animum ad cogitandum avocavi, reprehendi communem errorem, quod indignamur, si quis nostrum*

interiit, aut occisus est, quorum vita exiguos natura terminos circum-
scripsit; cum uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant:
hæc me cogitatio valde confirmavit. Etiam tu, cum tot viri claris-
simi uno tempore perierint, imminutum valde sit imperium, provin-
cia omnes conquassata, ab hisce rebus, ut ego ab oppidorum excidio,
ad cogitationem animum avoca; nec unius mulierculæ tantopere
commovcaris interitu; sed ea potius reminiscere, quæ digna tua
persona sunt.

Atque ea potius reminiscere, quæ digna tua per-
sona sunt. Gravem enim personam sustines, cum amplissi-
mos magistratus eximia cum laude gesseris. Non postremum
in consolatoriis locum habet ratio, qua ostendimus, indignum
esse tantum luctum lugentis persona. Facit id ipse Tullius e-
pist. ad Titium: *Non est jam gravitatis ac sapientia tua, quam tu
a puero prestitisti, ferre immoderatus casum incommodorum tuo-
rum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseria maloque sejunctus.
Etenim cum semper te, & privatis in rebus & publicis prestitisti,
tuenda tibi ut sit gravitas, & constantia serviendum. Virum igi-
tur ad virilem revocabis animum; matronam, ad dignas ma-
trona virtutes. Virum amplissimis Reip. fungentem muneribus
dedecet, nimio sese mærori dare, eoque detrimentum affer-
re publicæ rei. Theologum, cujus munus est alios consolari,
nequaquam decet in adversis rebus despondere animum. Ju-
risconsultus in foro imperterritus, non nimis domi suæ trepidet.
Turpe foret Medico, aliis mederi in morbis, in suo dolore alio-
rum medicina habere opus. Sapientia studiosus sibi in tempo-
re de solatio ex Philosophia prospiciat, ne, cum nimium contri-
stetur, pro insipido habeatur. Et ut ad mulieres quoque deveni-
am: etsi hæc, Poeta teste, ut fletent lacrimas erudiere suas, etsi
his etiam, ut plusculum indulgeant lamentis fortassis conce-
dendum est; ne tamen ploratibus ac ejulatibus plane confician-
tur, jube eas sibi in memoriam revocare instabilem rerum hu-
manarum sortem, & simul considerare inconvenientem lamen-
tantium habitum moresque indecoros. Vnumquemque de-*

mum Christianum, nisi in divina acquieverit voluntate, indignum se præstare Christiano nomine doceto. Quamquam o nos felices! o nos terque quaterque beatos, si hæc ad animum semper demitteremus, nec interdum plus valerent importuni fluctus animi, quam omnium Sapientum responsa! Pii ad preces confugiant, nec desinant tamdiu fatigare cœleste Numen, donec ille Spiritus omnigeni solatii fortes inspiraverit consolationes animæ in angustiis versanti.

Illam, quamdiu ei opus fuerat, vixisse. Majori jure nos præ Gentilibus id dixerimus. Infanti, puero, puellæ, adolescenti, juveni, virgini, viro feminaeque non diu opus fuit vixisse. Diuturnam vitam minime ex re illorum fore prævidit Deus: atque ideo terrenis his eximere voluit. Dei autem voluntas licet primo adspectu acerba nobis videatur, sancta tamen & semper salutaris est. Plura in hunc sensum habet B. Fulgentius Epist. ad Gallam, *de Consolatione super morte mariti, & de statu viduarum*, quæ non exscribo.

Vna cum Republ. fuisse. In verbo *Fuisse* elegans latere videtur *ἐυφημισμός*. Veteres enim a mortis mentione, quoad ejus fieri poterat, se abstinabant. Plautus *Capt. III. III. v. 1.* *Nunc illud est, cum me fuisse quam esse nimio mavelim.* Trusul. *Ita tibi pæne fuit Phronesium?* i. e. *μικρὸν ἀπέθανε*. Tibullus l. III. eleg. V.

*Vivite felices, memores & vivite nostri
Sive erimus, seu nos fata fuisse velint.*

Plura ejus rei exempla suppeditabunt Barnabas Brissonius *lib. VIII. de Formulis Pop. Rom.* Johannes Passeratius *ad Propertium lib. II. el. VIII.* Nicolaus Henelius *Otii Vratislaviensis cap. XX.*

Te Patrem suum Prætorem, Consulem, Augurem vidisse. De his muneribus Ciceronis plura commentatus sum libello *de Vita Ciceronis*.

Omnibus bonis prope perfunctam esse. Latius hoc argumentum in Scipione pertractat Cicero dialogo de Amicitia. *Cum illo vero quis neget actum esse præclare? nisi enim,*
quod

quod ille minime putabat, immortalitatem optare vellet, quid non est adeptus, quod homini fas esset optare? qui summam spem civium, quam de eo jam puero habuerant, continuo adolescens incredibili virtute superavit: qui consulatum petiit nunquam, factus est consul bis, primum ante tempus, iterum sibi suo tempore: Reip. pæne sero: qui duabus urbibus everfis inimicissimis huic imperio, non modo presentia, verum etiam futura bella delevit. Quid dicam de moribus facillimis? de pietate in matrem, liberalitate in sorores, benignitate in suos, justitia in omnes? hæc nota sunt vobis. quam autem civitati carus fuerit, mærore funeris indicatum est. Quid igitur hunc paucorum annorum accessio juvare potuisset?

Cum Resp. occideret vita excessisse. Miseriora tamen adhuc tempora secuta sunt. Seneca de Cicerone nostro de Consol. ad Marciam cap. XX. M. Cicero, si eo tempore, quo Catiline sicas devitavit, quibus pariter cum patria petitus est, concidisset liberata Rep. conservator ejus: si denique filia sua funus secutus fuisset, etiam tunc felix mori potuit. Non vidisset strictos in civilia capita mucrones: nec divisa percussoribus occisorum bona, ut etiam de suo perirent: non hastam consularia spolia vendentem: nec cædes, nec locata publice latrocinia, bella, rapinas, tantum Catilinarum. De vita igitur decedere, antequam bella, gravissimique casus alii immineant, instar summi beneficii habendum est. Hanc sententiam Cicero initio lib. III. de Oratore, cum de L. Crassi morte loqueretur, consolationis loco posuit. Non vidit, inquit, flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filia, non exilium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum ejus cædem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria præstitisset, ut ille qui hæc non vidit, & vixisse cum Rep. pariter, & cum illa simul extinctus esse videatur. Et libro de claris Oratoribus, opportuno tempore Hortensium obuisse ostendit, appropinquante Reip. interitu. Occidit, inquit, cum lugere facilius Remp. posset, quam juvare: vixitque tamdiu, quam licuit in civitate bene beateque vivere. Nostro incommodo, detrimentoque
si est

si est ita necesse, doleamus: illius vero mortis opportunitatem benevolentia potius, quam misericordia prosequamur. Hieronymus Epitaphio Nepotiani: *Felix Nepotianus, qui hæc non videt, felix, qui hæc non audit.* Longum enim Catalogum publicarum calamitatum contexuerat. Hodie igitur cum tam dira ubique regnent scelera, tantaque injustitia passim principatum obtineat; cum omnia in deterius & nefas ruant; cum nesciamus quid maiorum serus vesper advecturus sit: quis non præoptet tantis eripi angustiis, tantis imminentibus malis præripi? Hæc nulla est statuta & stabilis voluptas; hæc rara, imo prope nulla felicitas; hæc candor res est inter mortua pœne. Quisquis ergo non ex intimo cordis affectu anhelaverit durissimis hisce vinculis exsolvi & cum CHRISTO esse; nã is frugibus repertis glandibus vesci, & cum Epicuri de grege porcis porcinam malle vitam agere credendus.

Quid est, quod tu, aut illa, cum fortuna hoc nomine queri possitis? Rideo male tornatum multorum acumen, qui quoties Epicedia extrudunt, in mortem falciferam, securigeram, multivoram, & nescio quam feram bestiam, plenis buccis invehuntur: præsertim si nulla artis Poeticæ mica emicet, aut peccetur etiam in divinæ veritatis præscripta.

Denique noli te oblivisci Ciceronem esse. Multis virtutibus, rebusque gestis clarum. Vis major est in ipso nomine, quam si dixisset: *Cogita qui sis.* Seneca de Consolat. ad Marciam cap. IV. *Servandus tibi in hac re tuus mos est, ne quid committas, quod minus aliterve factum velis.* Vim, quæ est in voce Ciceronis, expressit idem de Consolat. ad Helviam matrem cap. XVI. *Si numerare funera Corneliæ velles, amiserat decem, si estimare, amiserat Gracchos.*

Et eum, qui aliis consueveris præcipere, & dare consilium. Turpe scilicet est doctori, cum ipsum culpa redarguit. Cicero ad Brutum: *Est alienum tanto viro, ut es tu, quod alteri præceperit, id ipsum facere non posse.* Seneca ad Polybium cap. XXIV. *Pietatem tuam tamen nihil æq; a lacrumis abducat, quam si cogitaveris fratribus te tuis exemplo esse debere fortiter banc fortune injuriam sustinendi.*

Ne-

Neque imitari malos medicos, qui in alienis mor-
bis profitentur se tenere medicinæ scientiam, ipsi se cu-
rare non possunt. Gratissima similitudo, quæ placuit, &
proverbi locum dedit Ebraeis Græcis, Latinis. Ebraei sic effe-
runt $\text{יְרַפְּךָ מֵעַצְמְךָ}$ *Medice sana te ipsum.* vide Joh. Dru-
sium *Prætorior. lib. III. pag. 85.* Ipse CHRISTUS Luc. IV. v. 23.
 $\text{πάντως ἐρεῖτέ μοι τὴν παραβολὴν ταύτην. ἰατρὲ θεράπευσον σεαυτὸν.}$
Æschylus in Prometheo v. 463.

--- κακὸς δ' ἰατρὸς ἕστις ἐς νόσον
πιστῶν ἀθυμεῖς, καὶ σεαυτὸν ἔκ ἔχεις
εὐρεῖν ὁποῖοις φαρμάκοις ἰάσιμῳ.

*Et es malus medicus, qui in morbum prolapsus curbaris, nec potes in-
venire, quibus tu remediis sis curabilis.*

Plutarchus libello, cui titulus: *Quo pacto quis ab inimico juvari
possit*, item in Commentario, quem scripsit adversus Colo-
ten, hunc senarium ex tragædia quadam allegat:

Ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἔλκεσι βρύων.

Aliorum medicus ipse ulceribus scatens.

Gregorius Apologia de fuga sua: ἢ τῆς παρεπιμίας πόρρω θέωμεν,
ἄλλοις ἰατρεύειν ἐπιχειρῶντες, αὐτοὶ βρύοντες ἔλκεσι. Aut prover-
bium procul effugiamus, aliis mederi parantes, ipsi scatentes ulceri-
bus. Simplicius in cap. LXXIII. Epicteti: Αἰχύνοιτο γὰρ ἂν τις
δικαίως, εἰ νοσῶν, καὶ βοηθήματα τῆς νόσου εὐρίσκων γεγραμμένα,
ἀναγνώσκη μὲν αὐτὰ σαφῶς τε καὶ διηθερωμένως, καὶ ἄλλοις ἐξη-
γεῖτο, μὴ χεῖροιο δὲ τῆς ἐαυτοῦ βοηθήμασιν. *Juste enim aliquis ru-
desieret, si egrotans, & remedia adversus morbum scripta inveniens,
illa quidem plane & distincte cognosceret, & aliis præscriberet, ipse
vero non uteretur suis remediis.* Apud Lucianum ille inscitiam
damnans suam, (libro de merc. conduct.) ἐκείνω τῷ φαρμακο-
πώλῃ ἔοικας, ὃς ἀποκηρύττει βηχὸς φάρμακον, καὶ αὐτὴν κἀκείνῃ
τὸς πάχονας ὑπὸ κηρύττειν, αὐτὸς μετὰ ξὺ σὴ πόμην ὑπὲρ βηχὸς
ἐφαίνεται. *Ille pharmacopole similis es, qui predicans pharmacum ad-
versus tussim, & statim eandem patientibus desinere pollicitur, illico tussē
putrefactus apparebat.* Gregorius in Pastoralī: *Improbis & impe-
ritus est medicus, qui alienam mederi appetit, & ipse vulnus, quod
patitur, nescit.* Huc forte respexit Carinus adolescens in An-

G

dria

dria Terentii: *Facile, inquit, cum valemus, recta consilia aegrotis damus.* Neque tamen propterea malum dixeris medicum, qui sibi suisque nequeat mederi. Habet enim in ipsius medici morbis locum, quod Ovidius lib. I. de Ponto canit:

Non est in medico semper relevetur ut aeger

Interdum doctus plus valet arte malum.

Hæ autē, & similes sententiæ egregium habent documentum imbecillitatis animi etiam in sapientissimis. Quotusquisq; est domi, qui non egregie sibi videatur sapere in bonū publicum? quod infelicissime attentat, si quando ipse versatur in periculo non pari, sed minori etiam, ac is, cui voluit esse præmonstrator & monitor. Chremes senex in Heavtontimorumeno Terentii, quam egregie disputat de ferendis malis, de ratione tractandorum ingeniorum, deque recta & vera vivendi ratione: quæ omnia ei excidunt, ubi ipse hoc debet præstare. Hinc igitur doctissime & sapientissime Poeta ex Menedemi persona: *Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare, foris sapere, tibi non posse auxiliari?* Et ut ad calamitates æquo animo ferendas deveniam; non possunt non sancti etiam frangi & collabi, nisi per cœleste Numen confirmentur. Et Deus quidem illa pro incredibili bonitate tolerat, quippe qui non ignorat, quales nos finxerit, quamque dederit nobis animos corporibus congruentes: quod ipse agnovit Cicero lib. V. Tuscul. Quæstion.

Demum hic a nobis quæri & longius disputari posset, *an Medicina* curatius loquendo *Scientiæ* nomen mereatur. Paucis monemus, a rigidius philosophantibus scientiæ elogium arti medicæ vix iri tributum: non defuisse tamen viros præclare doctos, qui dignissimam scientiæ præconio censuerint. Afferemus nunc unicum Johannem Baptistam Montanum Philosophum & Medicum sui sæculi facile principem, qui ad canones Avicennæ ita commentatus est: *Ars dupliciter considerari potest: uno modo, ut versatur circa materiam & subjectum extrinsecum, circa quod operatur, altero, ut versatur circa universalis & rationem faciendi. Priori modo medicina est ars, posteriori scientia. Respectu Platonis vel Socratis, quem curare debet, Medicina est ars: respectu vero artificis, ut ipse mederi novit in mente, est scientia.*

Tu.

Tute tibi subijce. Græco more dixisse videtur pro
Commonefacere, seu in memoriam revocare. Græci enim ὑποθε-
ναι & ὑποβάλλειν eodem modo usurpant. Æschines contra Cte-
siphontem: ἐκεῖνο αὐτῶ ὑποβάλλει. Terent. in Phorm. Si memi-
nisti, quod olim dictum est, subijce. Liv. l. VIII. Dec. III. Has mi-
hi spes subijcit fortuna populi Romani. Propert. lib. I. eleg. VII.
Nec tibi subijciet carmina serus Amor.

Nullus dolor est, quem longinqvitas temporis mi-
nuat atque molliat. Nimirum in primo fervore maxime impa-
tientes ferocesque sunt miseria: ut habet Seneca ad Marciam cap.
IV. Sed dolorem dies consumit licet contumacissimum, quotidie
insurgentem, & contra remedia effervescentem; tamen illum, effica-
cissimum mitiganda ferocia, tempus enervat. ibid. cap. VIII. Sic E-
pist. LXIII. Scio pertritum jam hoc esse, quod adjecturus sum, non
tamen ideo pratermittam, quia ab omnibus dictum est: finem dolendi
etiam qui initium consilio non fecerat, tempore invenit. Et Ci-
cero lib. VII. Epist. XXVIII. Nec hæc longinqvitas temporis tan-
tum apud sapientes valet, sed stultis quoque mederi solet. Ac ite-
rum de se ipse lib. VI. Ep. IV. Me ipsum consolatorem tuum non tan-
tum literæ, quibus semper studui, quantum longinqvitas temporis
mitigavit. Terentius Heaut. III. l. Vulgo audio adimere egritudi-
nem hominibus, dici, diem.

Hoc te expectare tempus tibi turpe est, ac non ei
rei sapientia tua te occurrere. Ipse Tullius lib. XII. ad At-
tic. Ep. XI. Impetret ratio, quod dies impetratura est. Et lib. V.
Fam. Ep. XVI. Quod allatum est ipsa diuturnitas, quæ maximos
luctus vetustate tollit, id nos præripere consilio sapientiaque debemus.
Seneca Epist. LXIII. Turpissimum autem est in homine prudente
remedium doloris, lassitudo mærendi. Malo relinquo dolorem,
quam ab illo relinquo, quod si etiam voles diu facere, non poteris.
Hieronymus ad Paulam de obitu Blesilæ: Recens vulnus est, &
taetlus iste, quo blandior, non tam curat, quam exasperat. At tamen
quod tempore mitigandum est, cur ratione non vincitur?

Quod si quis etiam inferis sensus est. Gentiles de
immortalitate animæ loquentes raro sibi constant: quod Phi-
losophorum alii eam negaverint, alii crediderint potius, quam

probaverint. Innumera liceret in rem præsentem afferre Græcorum Latinorumque, nisi jam fecissent alii. Geminam Sulpicianæ formulam apud Senecam reperies *de Brevitate Vitæ* cap. XVIII. Isocrates dixit in Evagora: Ἐίτις ἐστὶν αἰσθησις τοῖς τῆλελευτηκόσι. Ambrosius Orat. in obitum Valentiniani. *Quod si gentes, quæ spem resurrectionis non habent, hoc uno se consolantur, quod dicant, quod nullus post mortem sensus sit defunctorum, ac per hoc nullus remaneat sensus doloris, quanto magis nos consolationem recipere debemus, quia mors metuenda non sit, eo quod finis sit peccatorum.*

Hoc certe te illa facere non vult. Seneca ad Polyb. cap. XXIV. *Quid juvat dolore intabescere, quem, si quis defuncti sensus est, finire frater tuus cupit? Et post pauca: In hoc vero cuius tam explorata pietas est, pro certo habendum est, nihil esse illi posse acerbius, quam si tibi hic casus ejus acerbus est, si te ullo modo torquet, si oculos tuos, indignissimos hoc malo, sine ullo flendi sine conturbat idem & exhaurit. Et cap. superiori: Illud quoque te non minimum adjuverit, si cogitaveris, nulli minus gratum esse dolorem tuum, quam ei, cui præstari videtur.* Hoc argumentum fortius penetrat apud Christianos, qui non dubitant de immortalitate animæ, sed suis in cælo, si pie vita sint defuncti, bene esse sciunt. In hanc sententiam Hieronymus ad Paulam: *Clamat nunc Blefilla lagenti: Si unquam me amasti mater, si tua ubera suxi, si tuis instituta sum monitis, ne invidias gloriae meæ.*

Da hoc illi mortuæ. Eleganter utimur verbo dandi, pro obtemperare, morem gerere. *Da hoc meæ Natura.* Cic. V. Verr. *Dabimus hoc Pompejo.* lib. I. Acad. Quæst.

--- *Da, nate, petenti: Virgilius.*

Da ceteris amicis & familiaribus. Novum solatii argumentum. Non male vis amicis, non familiaribus. Videris autem male velle, si tuo dolore mœrorem illorum auges.

Denique quoniam in eam fortunam devenimus. Tangit tempora Cæsaris, & amissam sub eo libertatem.

Ut etiam huic rei nobis serviendum sit. Ipse Cic. ad Sulpic. hoc eodem libro Ep. IV, *Sed tamen quoniam effugi ejus*

suspi-

53

suspicionem, qui fortasse arbitraretur, me hanc Remp. non putare, si perpetuo tacerem, modice hoc faciam, aut etiam intra modum; ut & illius voluntati, & meis studiis serviam. Prudentis est, certo tempore inservire tempori. Idem etiam Christianum decet; modo fugiat callidam illam simulandi dissimulandique artem, nimium quantum hodie maximis medioximis frequentatam.

Et aliorum victoriam lugere. Hoc dicit, quia paulo ante Cæsar Pompeji liberos in Hispania devicerat. Nescio an idem svaluerit Atticus. Sic enim rescribit Cicero lib. XII. epist. XX. *Quod me hortaris, idque a ceteris desiderari scribis, ut dissimulem me tam graviter dolere; possumne magis, quam quod totos dies consumo in literis? quod etsi non dissimulationis, sed potius leniendi & sanandi animi causa facio: tamen si mihi minus proficio, simulationi certe facio satis.* Certe non desunt, qui Ciceronem se plus dolere, quam revera doleret, simulasse volunt, ut per id liberius abesset ab Urbe. Nam mox ab abitu Tulliae Cicero in agros secessit. Sub Tiberio lacrimas intutas fuisse ex Taciti Annal. VI. docemur. *Ne feminae quidem exsortes periculi, qua occupanda Reip. argui non poterant, ob lacrimas iucufabantur; nec atque est anus Vitia Fusii Gemini mater, quod filii necem flevisset.* De Tryzo tyranno, qui itidem lacrimas prohibuit, legendus Ælianus Var. Histor. l. XIV. cap. XXII.

Ne videar prudentiæ tuæ diffidere. Morata hæc oratio in variis rebus locum habet, & maxime movet eum, cum quo agimus.

Si hoc unum proposuero. Sic loquimur, cum ita nos aliquid dicturos esse ostendimus, ut aliquid tamen præponere velimus. Exempla dabit Manutius.

Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam. Id quod tamen difficillimum est. Eleganter Germani nostri: *Es müssen starcke Beine seyn / die gute Lage ertragen können.* Plerumque enim arrogantia, & alia hujus generis vitia secundas res sectantur. Cato in Oratione quadam apud Gellium lib. VII. cap. III. *Scio solere pterisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellentem, at-*

que superbiam, atque ferocitatem auferere atque crescere. Non autem melius in prosperis hæc adversus vitia est pharmacum, quam sedulo cogitare, humana omnia, divitias, honores, principum virorum gratiam, bonam valetudinem, conjugem moratam, & si quæ sunt alia, non esse ex omni parte bona; tum vero brevi fluxa, caduca, peritura.

Fac aliquando intelligamus, adversam quoque te æque ferre posse. Scilicet in utraque fortuna Sapiens sibi constat animus, parique, quod de Attico Nepos prædicat, stat fastigio. Innumera sunt ejusmodi dicta apud Veteres. Nobis instar omnium sit Seneca. *Rectus atque integer corrigit prava fortune, & dura atque aspera ferendi scientia mollit: idemque & secunda grate excipit modestè, & adversa constanter atque fortiter.* Epist. XCVIII. *Circumstat te omnis ista consolantium frequentia, & in animum tuum inquirit, ac perspicit, quantum roboris ille adversus dolorem habeat: & utrumne tu tantum rebus secundis dextere uti scias, an & adversas possis viriliter ferre.* Observantur oculi tui. Idem de consolat. ad Polyb. cap. XXV. *Et non sentire mala sua, non est hominis: & non ferre, non est viri.*

Neque id majus, quam debeat, tibi onus videri. In eo a multis peccatur, quod putent suum onus esse intolerabile: cum tamen longe graviora incumbant aliis.

Ne ex omnibus virtutibus hæc una tibi videatur deesse. Nempe in adversis rebus constantia & fortitudo.

Cum te tranquilliore esse animo cognovero. Sicut ægrotis non omnes cibi ad palatum; sic non conveniant tristibus quævis dicta, scriptave.

Quemadmodum se provincia habeat. Achaja.

F I N I S.

Sphalmata, si quæ sunt typographica, Lector benevolus facile expunget. Meum vero ἀμείψιμα μνημονικὸν in præfatione de WEDELII absentia a nuptiis meis ita corrigendum: Ob vocationem Vinariensem, ubi PRINCEPS JUVVENTUTIS ægrotabat,

Ad

Excellentissimum Virum

DN. GEORGIVM WOLFG.
WEDELIVM

Inter Nummariaë Antiquitatis
studia

Svavissimam Conjugem

OPTIMAM MONETAM
amittentem.

Hospes inexpertus Tua damna jugalia
plango,
Accedit lacrymis guttula nostra Tuis.
Ignota solitam laurum commuto cupressu,
Et cœlebs viduum conjuge ploro torum.
Nescio quæ jungant uxorem vincla marito,
Prosequor ast lacrymis ista recisa piis.
Scilicet & Pietas ac Observantia plorant,
Exturbantque oculis flumina falsa meis.
Vestitu squalore nigro, caligine tincto
Velari hospitium me volvere suum.
Quic.

56.
Quicquid ago, doleo, querulasve enuncio vo-
ces,

Hæc fari credas Numina nostra velim.

Ito! mihi dixit Pietas, ito! altera dixit,

Lugenti sociam ferque doloris opem.

Cuiq; vetustatis quondam gratatus opum vim,

Nummorum eximiam magnificamque
penum;

Optima perdentem cimelia consolare,

Jaeturæque suæ te gere participem.

Et prodesse volunt, & delectare monetæ,

Amiffæque animos excruciare sciunt.

Adde: Vir Excellens, si dira injuria
fati

Nummorum præstans abstulit
archetypon,


Salva Tibi egregii Numismatis
ectypa restant,

Hæc quoties spectas, Te illud
habere puta.

Observantia testanda ergo

f.


JACOBUS A MELLE
Lubecensis.



1077

Collega

G Ravis vel
tiuncular
VVEDELI
SABINAM
ciffime MA
MVM, doctrina & me
star mihi sum videre
sinisterius habet judi
aut plane fit ignarus
mœrore consumatis,
aliis etiam calamitat
cipui Vobis propono
opto ac spero, huic q
pagellas, ut vel Tulli
tamen lectu non ind
topere vestrum me a
vestro æstimem. Hi
in simul orans, qui, q
servetis. Equidem
S. Spiritus gratiam n
Aa. Ar. Dion. cl. l.



erissimi,

honorandi.

cunq̄ue Commenta-
Enimvero *χαρισται*
uxorem CHRISTINAM
exemplar; tu vero ami-
IDERICVM VVILHEL-
n amifistis, Ciceronis in-
Nemo de dolore vestro
constantem velit sapere,
At enim qui nimio Vos
animi vestri magnitudo,
erationem quidnam præ-
s beavit pectus, & quod
idcirco has Vobis offero
um genera: quæ & ipsa
stimonium extet, quan-
rina, virtute & candore
obis spero non ingratum:
mihî servetis atque con-
hoc acerbissimo casu per
demia Salana VII. Martii

I
des
Co
que
tro
opu
der
vati
gero
cum
mut
nica
rum
nao
rum
lia ex
grap
sepo
non
MAL
cessi
vi, ta
tam
e B.
flore
poste
bus,
STO,
Julia